[illegible]

ΠΡΩΤΕΥΑΓ

sive

Orthodoxa & dilu

Dicti Gen: III.

Ponam inimicitias inte

conteres calcane

Quam

Divina cooperan

IN CELEBERRIMA ACADEMI

SUB PRÆSI

VIRI

Plurimùm Reverendi, Clarißimi

DN. JOHANNIS

S.S. Theol. Doctoris & Profess

rum Electoralium Ephori,

Theol. Decani maximè

Dn. Præceptoris, Patroni ac

omni observantiæ cu

prosequend

Publico Eruditorum exam

THOMAS LANGIUS W

Autor & Respond

In auditorio majori ad diem

WITTEBER

Typis MICHAELIS

ANNO clɔ Iɔ C

9.

ܣܒܪܬܐ

...ΑΓΓΕΛΙΟΝ

sive

... dilucida enodatio

...en: III. vers. 15.

...ias inter te &c. & tu

...calcaneum ejus.

Quam

... operante Gratiâ

...ADEMIA WITTENBERGENSI

PRÆSIDIO

VIRI

...Clarissimi, atq; Excellentissimi,

...NIS MEISNERI,

... Professoris Publici, Alumno-

... Ephori, nec non p.t. Coll.

... maximè Spectabilis,

...roni ac Mœcenatis magni,

...ntiæ cultu ætatèm

...sequendi,

...rum examini submittit

...IS Wursato-Dorumiensis,

...& Respondens.

...diem ~~Martij~~ horis matutinis. 6 Maji

...TEBERGÆ

...HAELIS Wendt/

...cIↃ IↃ C LI.

Ex hoc loco propositis Dr. D. Cazzhovij p. 2. 150.
in Hodegetico
Quandam Theor. Evangelii Expositionem &
descripsit

1. Quid sit semen mulieris?
2. Quid caput serpentinum?
3. Quid capitis serpentini conculcatio?

Item aliud
De semine mulieris.

1. Quid sit seminis designatio.
2. designati conditio.
3. Conterentis apprehensio.



Uod B. Bartholomæum dixisse refert Dionysius l. 1. de myst. Theol. c. 1. *Evangelium breve esse & longum*, id non incommodè de πρωτευαγγελίῳ, quod impræsentiarum aliquantum consideraturi sumus, affirmari potest. *Breve* siquidem illud verbis, sed *longum* sensu, longum expositione, consolatione, commonefactione, adhortatione. Est hoc velut inexhaustum & profundum pelagus, ex quo, sicut è mari omnia flumina emanant Eccl: 1:7. Sic ex hoc omnia, quæ in sacris literis habentur, dogmata profluunt. Et velut quatuor flumina in paradiso ad irrigandum hortum ex uno fonte oriebantur, & in omnem terram se dividebant Gen: 2. 10. sic ex hoc dicto omnia, quæcunq; Moses & Prophetæ & Evangelistæ & Apostoli instinctu Spiritus Sancti scripserunt, ad irrigandam Ecclesiam DEI in universo orbe deducta sunt. *Summa enim est totius doctrinæ Christianæ & omnium Articulorum fidei nostræ, ad quam primi Parentes & Patriarchæ in conventibus suis velut ad normam & regulam, quæcunq; de creatione, de tristi suo lapsu, peccato & totius naturæ corruptione, de malitia, astutia & potentia Diaboli, de Redemtore Christo, de fide in illum Mediatorem, de exercitiis fidei, & pœnitentia, de cruce, de morte, resurrectione & similibus articulis etiamnum in nostris Ecclesiis sonantibus disseruerunt, exegerunt. Omnia enim, quæcunq; de illis Articulis doceri possunt, pulcerrimó ordine in illa sententia comprehenduntur, & sine difficultate in ea observari possunt*, quæ verba sunt B.D. Lyser. dedicat. in L.C. Chemnit. itemq; B. Chemnit. de usu Loc. Com. ibid. p. 9. conf. & D. Walth. Officin. Bibl. à p. 622. qui omnes inde fidei articulos deduxit. Ante omnia verò clarissimis verbis hoc dictum *de persona* & *Officio Christi* agit, quippe qui est Θεάνθρωπος, & in sua passione & morte à serpente infernali *calcaneo vulneratus caput ejus contrivit*, & in Resurrectione sua victoriam ab eo retulit, nosq; in pristinam libertatem asseruit. Quoniam igitur hactenus in Ecclesia DEI *de persona Christi* actum est, jamq; consideratur *acerbissima ejus passio*, quam sequetur *Resurrectionis gloriosæ meditatio*; non inconveniens erit accuratiori mentis trutinâ illud si

pensitandum suscipiamus, ut item præterita in memoriam quodammodo revocare, tum præcipuè præsentia eò accuratiùs perpendere & ad *instantem* Festivitatem eò meliùs nos præparare queamus. Ut ergo justô ordine id præstemus, quatuor membra constituemus.

Primum *dabit verborum analysin, sensusq; literalis pervestigationem.*

Secundum sistet *Textus à corruptelis Heterodoxorum vindicationem.*

Tertium ponet *Aphorismos quosdam Textum hunc Mosaicum illustrantes.*

Quartum adornabit *Usus practici delineationem.*

Tu verò Pater æterne, mitte ex altis Spiritum tuum Sanctum, qui illustret cor nostrum, mentem gubernet, verum verborum intellectum suppeditet, nosq; in omnem veritatem ducat, ut serpentini capitis contritionem à Filio tuo pro nobis præstitam rectè nobiscum ponderemus, contra Adversarios defendamus, ingensq; ex ea ad nos redundans commodum ritè imbibamus, ut virtute hujus etiam in vitæ nostræ fine Satanam vincere queamus! Fac hoc benignissime Pater, propter Filii tui passionem & mortem! Amen.

TEXTUS ORIGINALIS.

וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ
הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

Targum Onkelos

וּדְבָבוּ אֲשַׁוֵּי בֵּינָךְ וּבֵין אִתְּתָא וּבֵין בְּנָךְ וּבֵין בְּנַהָא
הוּא יְהֵי נָטַר לָךְ (Buxtorf. יְהֵי דְּכִיר לָךְ) מַה־דַּעֲבַדְתְּ
לֵהּ־מִלְּקַדְמִין וְאַתְּ תְּהֵא נָטַר לֵהּ לְסוֹפָא׃

Versio LXX. Interpret.

Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ

σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· Αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.

Pagnini.

Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & inter ſemen ejus: ipſum conteret tibi caput & tu conteres ei calcaneum.

Junii & Tremellii.

Præterea inimicitiam pono inter te, & inter mulierem hanc, ſimiliterq; inter ſemen tuum & ſemen hujus: Hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.

Vulgata.

Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & ſemen tuum & ſemen ejus: ipſa conteret caput tuum & tu inſidiaberis calcaneo ejus.

Verſio B. Lutheri.

Vnd ich will Feindſchafft ſetzen zwiſchen dir vnd dem Weibe/ vnd zwiſchen deinem Samen vnd jhrem Samen/ derſelbe ſoll dir den Kopff zertreten vnd du wirſt jhn in die Ferſen ſtechen.

MEMBRUM I.

Exhibens *Verborum analyſin* 1. *Logico-Rhetoricam.*

THESIS I.

TRia autem eſſent quaſi membra ſententiæ hujus Moſaicæ ratione commaticæ diviſionis. *Primum:* inimicitiam ponam inter te (ô ſerpens) & inter mulierem. *Alterum:* inter ſemen tuum & ſemen ejus. *Tertium:* ipſum conteret tibi caput & tu conteres calcaneum ejus. Quemadmodum etiam Paræus in ſuo Comment. ſup. Gen. p. 551, tres Oraculi hujus partes & quaſi acies ho-

ftiliter oppositas constituit, quarum primam & ... am prædicat singulares (sc. inter Evam & serpentem, itemq; inter CHRISTUM & serpentem) mediam autem copiosam: scil. inter semen serpentis & semen mulieris. Verùm quia hâc ratione semen in secundo membro collectivè de posteris, in tertio verò pronomen Relativum individualiter de CHRISTO accipit, cùm tamen utrumq; individualiter sit sumendum; Nos potius ab hoc recedentes *duo constituimus membra*, quorum *prius* continet ipsam inimicitiarum positionem: *posterius* ejusdem executionem. In PRIORE notanda 1. *Causa Efficiens* seu *Autor* hujus positionis, qui est ipse DEus, seu potius SS. Trinitas 2. *Materia* seu Objectum est ipsa inimicitia, quæ inter mulierem & serpentem, itemq; inter semen serpentis & semen mulieris posita est. 3. *Subjectum* seu illi inter quos inimicitia hæc intercedit; opponuntur enim (1.) Diabolus, qui metaphoricè per serpentem exprimitur, & mulier Eva. (2.) Semen Diaboli, quod metaphoricè omnem Diabolorum catervam notat, & semen mulieris, quod est unus CHRISTUS. 4. *Finis seu Effectus*, qui in POSTERIORI membro innuitur, ubi in actû hæc inimicitia deducitur. Estq; duplex 1. *respectu seminis* mulieris, contritio capitis serpentini, quod metaphoricè potentiam & vires Diaboli peccatum & mortem notat. 2. *respectu Diaboli*, contritio calcanei, per quam acerbissimum mortis genus & maxima tamen eventus disparitas significatur, quod deinceps pluribus erit declarandum.

2. ἀνάλυσιν *Philologicam, Grammaticam, veriq; sensus investigationem.*

II. ואיבה אשית Targ. ודבבו אשוי LXX. Καὶ ἔχθραν θήσω. Pagnin, *& inimicitiam ponam*. Jun. *præterea inimicitiam pono*. Vulg. *inimicitias ponam*. Præmittitur hic ו *copulativum*, quod non otiosum est, quamvis vulgata illud malè omiserit, sed copulat seu connectit hunc Versiculum cum præcedente, adeoq; DEI judicium continuat etiam adversus Satanam, & hunc serpentem à præcedente, cui jam pœna sua inflicta erat. vers. 14. diversum esse novæ sententiæ inchoatione docet, unde & Tremel. illud ver... *mpletivè, præterea* zu dem. איבה propriè *inimicitiam* notat

impla-

implacabilem & *odium exitiale* & ferventissimum, adeoq; πόλεμον ἄσπονδον, ubi nullus amicitiæ locus relinquitur, quemadmodum id ex aliis locis patet Ez. 35. 5. 1. Sam: 18. 29. Deut. 21. 10. Psalm. 7. 6. & 18. 41. &c. à rad. איב inimicatus est, odit, adversatus fuit Ex. 23. 22. Græc. ἐχθρὰ, quod Scapula deduci videri ait ab ἔχεσθαι i. e. hærere, ut sit odium quod animo infixum hæret, sicut & Cicero odium definit, quod sit ira inveterata. Reliquæ versiones consentiunt cum fonte, nisi quod vulgata forsan elegantiam sectans inimicitias in plurali ponat. Intelligitur igitur vera inimicitia, fervens odium, apertissima hostilitas & rebellio, futura tum inter Diabolum & mulierem, tum præcipuè inter Diabolum & CHRISTUM.

III. אשית est futur. Hiph. à rad. שית idem quod שום Os. 2. 3. & *propriè* denotat ex uno loco in alium aliquid locare, sicut Gen: 48. 14. Ps. 21. 4. *Memphor.* verò variè sumitur, utpote pro dare Gen: 4. 25. addere Gen: 30. 40. proponere sibi Psalm. 101. 3. subjicere Psalm. 8. 7. & 110. 1. sic adhibetur de salutari liberatione Psal. 12. 6. de obsidione Es: 22. 7. de munitione Es. 26. vers. 1. de firma sententia Ex. 21. 22. 30. Es. 15. 9. & quod certam exsecutionem requirit Psal. 132. 11. de firma spe Psal. 73. 28. & *plerumq; firmitatem alicujus rei involvit.* Sic & h. l. *firmum DEI decretum innuit firmamq; dispositionem*, qua ex misericordia erga genus humanum lapsum, & ex severa justitia tanti facinoris Diabolici, ultionem sumere vult à Diabolo Protoplastorum seductore nequissimo, ut quia antea simulaverat se illorum amicissimum, quasi honores illorum amplificare & ad divinam majestatem eos evehere voluerit, jam dissidia ipsi sint expectanda, & quidem talia, quæ omni eum potentia, quam in humanum genus se habiturum confidebat, spoliaret. Et hæc inimicitia dicitur *posita* i. e. firmata, constituta, æterna & nunquam intermoritura, sicut pax dicitur posita, quando est constans & perpetua. Sic & LXX. per θήσω id verterunt, quod etiam notat aliquid ponere, collocare, item facere ut hoc vel illud ita sit. Sic & reliqui interpretes fontem secuti sunt, vertentes in futuro, quod per usitatam temporum enallagen pro præsenti positum est: siquidem hæ inimicitiæ statim post latam hanc sententiam *decretivè & inchoativè* in CHRISTI membris cæperunt, *exsecutivè* verò in

plenitu-

plenitudine temporis à Filio Dei consummatæ, quemadmodum illud Davidis suâ non caret emphasi Psalm.110.1. *sede à dextris meis donec* אשית *ponam &c.* ubi idem verbum habetur in plenaria executione quod hîc in prima promissione.

IV. Jucundum verò etiam disquisitione est, *quænam persona Divinitatis* hîc se inimicitiam posituram dicat? Quamvis enim hoc fuerit opus ad extra: opera verò ad extra sint indivisa: tamen cùm non tantùm interioribus discriminibus, verùm etiam exterioribus, sumtis præcipuè (verba sunt B. Chemnit. L.C. part.1. p.42.) à patefactione & beneficiis erga Ecclesiam, distinguantur, etiam una ex Divinitatis personis hîc attendenda est. Ea autem non incommodè statui posset *secunda S S. Trinitatis persona*, quod probari posse videtur 1. *ex appellatione*. Illa enim loquitur, cujus vocem audiverant in horto, at is est Dominus Deus, qui in Chald. paraphrasi Onkelos ab אמר vocatur מימרא v.8. *audiverunt vocem Verbi Domini DEI.* Cum quo etiam Targum Jonathanis Ben-Uzielis convenit. Sic Targ. Hierosolym. v. 9. *& vocavit Verbum Domini Dei Adamum & dixit ei.* 2. *ex proprio Filii Dei nomine*, quo ex Chaldaismo Messias ratione promissionis & patefactionis à Johanne Vocatur ὁ λόγος, Orator & interpres Patris Johan: 1. 1. 3. *ex officio Christi*, quod est, ut voluntatem & mentem DEI nobis revelet, quemadmodum ipse testatur Matth:11.27. Joh.1.18. 4. *ex Patrum consensu.* Hilario enim l.12. de Trinit. Justin. in Dial. cum Triphon. Irenæo l. 5. c. 14. Tertull. adversus Praxeam. Clem. Alexand. l. στρωματ. aliisq; videtur Messiam statim post lapsum in assumta aliqua humani corporis specie, qua Patriarchis se conspiciendum præbuit, in horto ambulasse, miserosq; Protoplastos, quos & condemnatoria legis sententia & mordens conscientia jam jam ad mortem æternam abreptura erat, primùm esse allocutum, ubi 5. *etiam accedit* quod τὸ מתהלך v.8. optimè possit ad vocē Dei referri, quæ dicatur in horto ambulasse; quemadmodum etiam Tremellius ita vertit. Actiones autem sunt suppositorum. Interim tamen Pater & Spiritus Sanctus non excluditur, cum *Pater sit in Filio & Filius in Patre* Joh.14.11.

V. Cum verò Deus hanc *inimicitiam constituere* dicitur, non id accipiendum est, quasi Deus sit autor odii illius Diabolici ad-

versus

versus Christum, cùm hoc maximum sit peccatum Joh. 8. 44. 1. Joh. 3. 8. peccatum autem Deus *non vult nec approbat* Psalm. 5. 5. quin & anteaDiabolus, postquam à Deo defecerat, odium suum satis in seductione protoplastorum ostenderat: sed quia Deus ex maximo amore voluit genus humanum per semen mulieris è faucibus Diaboli eripere, & promissionem hanc ad sexum muliebrem, ex quo semen illud prodit urum erat, alligare, adeoq; non ex bono malum, sed ex malo bonum facere, *ex consequenti* positæ sunt hæ inimicitiæ, quæ tamen in Diaboli pœnam diriguntur, quippe qui quos sub sua potestate se habere putabat, jam ex virtute seminis mulieris experiri debebat hostes & victores; & in hominis salutem, cui hôc ipsô certa etiam spes victoriæ promittitur, quòd potestati Diaboli per hoc semen sit subtrahendus.

VI. בֵּינְךָ. Targ. בֵּינָךְ est partic. separab. בֵּין quam deducit Schindler. à rad. בּוּן vel בִּין, & absolutum constituit בַּיִן & in plur. בֵּינֵי vel בֵּינוֹת. Attamen cùm absolutê non reperiatur, potiùs cum Buxtorf. peculiarem radicem constituimus: degenerat tamen sæpissimè in nomen, e. g. Num: 7. 8. 9. Es: 44. 4. & tum stat pro תָּוֶךְ i.e. medium. Adhibetur autem sicut in reliquis linguis variè 1. *de loco* Gen: 13. 3. Ex: 14. 20. 2. *de personis* iisq; *vel* dissidentibus Gen: 13. 7. Ex. 18. 16. *vel* consentientibus Gen: 26. 28. 1. Reg: 5. 12. 3. notat rerum *distinctionem* Gen: 1. 4. 6. Ez. 44. 23. h. l. secunda significatio obtinet. LXX. reddiderunt ἀνὰ μέσον i.e. per medium vel in medio vel inter; quæ verba etiam occurrunt Gen: 9. 13. 2. Sam: 3. 1. alibi. Affix. est secund. person. masc. & refertur ad nomen הנחש i. e. serpens, per quem non ampliùs intelligitur naturalis serpens, ille enim jam tum punitus erat vers. 14. sed ipse Diabolus incolubratus, qui hîc judicium suum audit, non ob *defectionem* à Deo; nam ejus pœnam scil. rejectionem in tenebras æternas jam patiebatur 2. Pet: 2. 4. Epist. Jud. v. 4. Vocatur autem ita *vel* per metonym. (verba sunt D. Glass. Rhetor. S. p. 481.) quia in serpente Satanas latuerat, & per eum fuerat ad Evam locutus, *vel* per metaphoram, quia maledictus serpens naturalis vers. 14. figuram Diaboli gerebat: prior tamen explicatio Textui convenientior. Quinam verò is fuerit, cùm scriptura taceat, nos non possumus scire, probabile tamen est fuisse Luciferum, Principem

Diabolorum, ut etiam Magister Sentent. l.2. Sent. Dist. 6. fol. 120. existimat.

VII. Hic verò inimicitiam suam ostendit duobus potissimùm modis: 1. *falsâ Doctrinâ:* dum ille inimicus ὁ ἐχθρὸς Zizanias seminat inter triticum Matth:13.vers.25. ille pater mendacii & latro Joh:8.44. est Spiritus falsus in ore Prophetarum 1.Reg:22.22. unde & falsa doctrina Dæmoniorum doctrina dicitur 1.Tim:4.1.& falsi Doctores se transfigurant in Apostolos Christi, sicut Diabolus in Angelum lucis 2. Cor:11. 12. 13. atq; ita seducunt corda innocentium 2.Tim.3.13. 2.Pet.2.v.1.2.17. & in æternum exitium ducunt. 2. *Impiâ vitâ & peccatis* contra conscientiam: ea enim qui committunt sunt ex Diabolo Joh:8.v.41.44. 1.Joh:3. 8. qui ad ea opera tenebrarum Eph:5.11. ceu Princeps tenebrarum Eph:6.12. impellit, sicut Davidem, Judam & alios.

IIX. ובין האשה Targ. ובין אתתא LXX. καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς. Pagnin. Vulgat. *& inter mulierem* Tremel. *& inter mulierem hanc.* Luther. und dem Weibe. Ubi nota, quòd Hebræa habeat præfixum ה emphat. quod etiam LXX. per τῆς & Tremel. per *hanc*, Lutherus per dem expressit, quamvis vulgata omittat: adeoq; certa mulier innuitur, scilicet ea, quæ in præcedenti capite v. 23. ab איש vocata est אשה (id quod pulcrè expressit Symmachus per vocem ἀνδρὶς & Pagnin. per *viraginem.* Luther. per Männin) Eva scilicet, quæ à Satana erat seducta 1. Tim: 2. 14. & jam coram Deo Judice stabat.

IX. ובין זרעך Targ. ובין בנך LXX. καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου. Vulg. *& semen tuum.* Pagnin. *& inter semen tuum.* Tremel. *similiterq; inter semen tuum.* ו h.l. D. Gerhard. Vatabl. & alii volunt esse ἐξηγητικῶς seu *declarativè* positum pro id est, sicut etiam aliàs sæpissimè adhiberi D. Glass. Phil. S. l. 4. tract. 1. p. 691. ostendit, e.g. Gen:35 12. Lev. 5. 1. 1. Sam. 17. 40. sicut & in N. T. τὸ καὶ adhibetur Matth. 13. 41. &c. ut sensus sit: *ponam inimicitiam inter te & mulierem,* id est, *inter semen tuum & semen ejus;* alii verò *copulativam* volunt esse particulam: sed hæ sententiæ invicem non pugnant. זרעך est nom. masc. cum affix. 2. person. mascul. quod refertur ad serpentem. Absolutum זרע quod *propriè* significat semen tum herbarum tum animantium: *impropriè* sumitur *vel me-*

tony-

tonymicè & significat materiatum pro materia Hag: 2. v.20. vel contentum pro continente 1. Sam: 8. 15. vel *Synecdoch.* collectivè posteritatem, nepotes hominumq; ex semine natorum multitudinem: vel ἑνικῶς unum duntaxat hominem significat, ut Gen: 4. 25. *vel metaphoricè* filios non generationis sed consensionis, sicut phrasi Hebræâ filii (semen autem & filius quòd hîc sint Synonyma, ex Targũ apparet, ubi locô זרע adhibita est vox בן) appellantur, qui addicti & obstricti alii sunt, studiisq; suis ingenium alterius exprimunt, ut *filius mortis* 1. Sam.20.31. i.e. reus mortis; *filius percussionis* Deut.25.2. i.e. dignus percussione: *filius gehennæ* Matth. 23.15. i.e. addictus. Intelliguntur ergò per semen serpentis seu Diaboli non gigantes ex concubitu Diaboli cum mulieribus geniti, ut Francisc. Georg. Venetus Tom.1. problem.54. statuit, sed omnes qui Diabolo tanquã patri sũt addicti: quales sunt omnes mali Spiritus, qui cum Apostata Diabolo à DEO se averterũt; ubi nec ipse eorum Coriphæus excluditur, quem in priori membro allocutus erat, cujus illi dicuntur Angeli Matth: 25. 41. Consequenter verò *& per analogiam* etiam possunt intelligi homines impii, persecutores, hæretici, qui pugnam cum Diabolo subire nolunt, sed in vita & moribus ipsum imitantur, unde & progenies viperarum Matth.3.7. & 23.33. & filii Diaboli appellantur Joh: 8.44. Act. 13.10. 1. Joh.3.10. Literaliter verò iidem hîc intelligi nequeunt, cùm hic agatur de Redemtionis opere, illi verò, etiam pessimæ farinæ homines, ad redemtos pertinent.

X. ובין זרעה Targ. ובין בנהא. LXX. καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός αὐτῆς. Pagn. *& inter semen ejus* Tremel. *& inter semen hujus.* Vulg. *& semen ejus.* זרע, quid significet in prioribus dictum est; h.l. notetur, quòd planè sumatur ἑνικῶς *& singulariter* pro solo Messia & Redemtore unico, qui καὶ' ἐξοχὴν semen ejus scil. mulieris, de qua antea dictum erat, vocatur. Pronomen enim 3. person. fœm. ad eam scil. Evam intendit, unde & indice digito eam quasi commonstrat Tremellius, dum vertit *HUJUS*, nec non Targum & reliquæ versiones ad fœminam respiciunt. Sumi verò hoc vocabulum etiam quandoq; in sacris literis *individualiter*, patet ex locis Gen: 4.25. c.15.3. c.21.13. 2. Sam: 7.12. 1. Par: 17.11. sicut & ipse Messias hoc nomine vocatur Gen: 22.18. c.26.4. c.28.14.

 Gal: 3.16.

Gal:3.16. Act:3.25. Hic igitur fundamentum, hic medium & causa gerendæ per mulierem inimicitiæ & victoriæ est, adeoq; ceu novus hostis in aciem producitur, qui opponatur Diabolo cum universo suo sodalitio, cùm aliàs nec mulieri nec omnibus aliis hominibus, conjunctis licet viribus hostem aggrediantur, ulla pugnandi, vincendi & superandi fuisset potestas. Opponitur verò eis *solus*, quippe qui machinanti Diabolorum catervæ solus par futurus erat. PONITUR etiam inter hos inimicitia, quia seria DEI voluntas est & decretum immutabile, de mittendo in mundum Messia, & toto genere humano per satisfactionem ejus ex potestate Satanæ redimendo.

XI. Et hactenus quasi de *præludiis* ipsius belli dictum est, quomodo scilicet maxima futura sit inter Messiam & serpentem infernalem inimicitia. Quam etiam ex *eventu* facile cernimus: cùm enim vix in lucem esset editus, acuit in eum Diabolus gladium Herodis, vitæq; ipsius struit insidias, ita ut exul factus sit CHRISTUS in Ægypto Matth.2. Noluit verò is statim in infantia pro nobis mori, quia etiam venerat docere & voluntatem Patris nobis revelare Joh.1.18. Matth:18.11. Luc:1.79. c.4. v.18.43. idq; ad implenda vaticinia, ubi Propheta Deut.18.15. Pastor Ez.34.2. c.37.29. Prædicator Es.61.1. nominatur. Dein verò cùm à Patre suo cœlesti Filius DEI proclamatus & ad officium Messiæ inauguratus & missus esset, inimicitiam suam Diabolus ostendit in eo, quòd ipse in deserto eum visibiliter aggressus & ad diffidentiam, temeritatem & idololatriam commovere tentârit, quin & ab uno loco in alium eum transportare non dubitaverit. Dein inflammavit in eum ipsos Conterraneos, ut de supercilio montis eum præcipitarent Luc:4.29. nec desiit eum persequi totô ministerii sui tempore. Verùm & CHRISTUS ex sua parte inimicitiam demonstravit, dum conatus ejus non tantùm avertit, sed & multos Diabolos in futuræ debellationis demonstratione ex obsessis ejecit, nec loqui quidem eos concessit. Luc:4.41. Act:10.38.

XII. הוא Targ. הוא LXX. ἀυτὸς Pagn. *Ipsum* Tremel. *hoc*, Vulg. *ipsa*. הוא est pronom. relativ. mascul. respiciens non nomen אשה quod est Gen. Fœm. sed זרע quod est generis masc. & vicinius. Quamvis enim Huntlæus in institut. controvers. pag. 71.

dicat

dicat, etiam nomen אשה esse h. l. generis masc. ad quod illud הוא referatur, tamen absurdum est & contradictionem involvit esse fœminam & masculum. Et quamvis esset collectivum nomen (quæ nomina generis communis esse ait) quod tamen negatur, cùm non literali sensu Ecclesiam sed hanc mulierem significet, tamen non omnia nomina collectiva sunt generis communis. Unum exemplum do: עֵדָה, כְּנֶסֶת, לַהֲקַת congregationem, cætum vel conventum significant, sed anne propterea sunt generis communis, ut etiam in masculino possint usurpari? idem judicium sit de אשה, quam vocem tamen tantùm ita collectivam ait, ut SIGNIFICET Ecclesiam; quæ verò probatio ex allegoria ducitur? Falsissima ergò hæc est hypothesis. Manet igitur quòd אשה sit generis fœminini, ac pronom. הוא non ad illam vocem, sed ad זרע referatur. LXX. reddiderunt αὐτὸς pro αὐτὸ, scilicet in respectu ad personam, quod σύνθεσιν vocant, cum ad sensum magis quàm ad verba respicitur: sicut & ejusmodi exempla plura occurrunt Matth. 28. 19. Joh. 15. 26. c. 16. 13. c. 17. 2. Rom. 9. 23. 24. Gal. 4. 19. vid. Philol. S. D. Glass. l. 3. Tract. 2. p. 204. Quamvis in aliis exemplaribus etiam legatur h. l. αὐτὸ. Vulgata, quam concilium Tridentinum avthenticam fecit, legit *ipsa*, in respectu ad mulierem, de quo quid sentiendum sit, postea dicetur.

XIII. ישופך est 3. sing. mascul. futur. Kal. à rad. שוף contudit, contrivit, comminuit, conculcavit, cum affix. 2. pers. masc. quod refertur ad serpentem. Ipsum verò verbum extra hunc locum bis modò reperitur: scilicet *prior* locus est Job: 9. 17. qui in tempestate ישופני conteret me. Targ. מְרַקֵּק עִמִּי *comminuit mecum*, à rad. רקק comminuit, contudit, attenuavit, subtilem & tenuem corpore reddidit: LXX. ibi, ἐκτρίψῃ exteret, terendo excutiet (ut ignem è silice) terendo exterget. Luther. er fähret über mich mit ungestüm. *Posterior* verò locus Psalm. 139. 11. tenebræ (caligo) ישופני conculcabit me, quod LXX. καταπατήσει me verterunt, i. e. conculcabit, opprimet. Luther. Finsternis mögen mich decken. Verùm cum Schindler. & Buxtorf. in Lexic. aliique fieri hîc permutationem significationis dicant à נשף caligo, crepusculum, ut שוף idem sit, quod obscurare, abscondere, idcirco ad præsens negotium nil facit. In præsenti verò loco Targum

 Onkelos

Onkelos ex Complutensi editione habet יהי נטר לך *erit observans tibi*, à נטר custodivit, servavit, observavit, de quo Schindler. notat, quod plerumq; *sumatur in malam partem*, & per ellipsin inimicitias in corde contra aliquem, iram, odium, invidiam, & injuriæ retentionem memoriamque involvat. Buxtorf. verò ex Veneta editione legit יהי דכיר לך erit recordans tui, à דכר memor fuit, quasi er wird dir des gedencken h. e. ulciscetur injurias, quas generi humano intulisti. LXX. τηρήσει σου κεφαλὴν, observabit tuum caput; Complutensis verò editio rectiùs legit ex Hebræo τειρήσει à τείρω infesto, sum molestus, affligo, fatigo, negotium exhibeo, divexo &c. Lutherus zertreten/Piscator innovandi gratiâ zerknitzschen.

XIV. ראש In capite, omissô (sicut Schindler. & alii putant) præfixô ב, sicut & illud fit in aliis locis e. g. 2 Par. 34. 30. *inventum* בית pro בבית sic Ex: 6. 3. Psalm. 109. 4. Prov. 8. 22. Esai. 5. 12. cap. 48. 14. Jer: 27. 18 Habac. 3. 15. vid. Philol. S. Glass. l. 4. tract. 1. p. 672. Potest tamen etiam per Accusativum explicari, ut pro more Græcorum subaudiatur per ellipsin κατὰ: adhibentur etiam duo accusativi in Ebræo Hab: 3. 15. Onkelos מה דעבדת לה מלקדמין *quod fecisti ei à principio* vel à seculo vel olim. Ubi respicit significationem τῶ ראש, quando sumitur pro principio vel initio alicujus rei. Sumitur enim hæc vox variè: *propriè* notat caput seu membrum primarium corporis, *impropriè* verò sumitur 1. *pro principio*. Gen: 2. 10. Ex: 12, 2. 2. *pro summitate* rei Ex: 17. 9. 10. c. 19. 20. c. 24. 25. 1. Reg. 7. 17. &c. 3. *pro summa* rei vel numero Ex: 30. 12. 4. *pro Duce* vel Principe, qui alios gubernat Num. 14. 4. Deut. 28. 13. 44. Jos. 22, 14. 1. Sam. 15, 17. 5. *pro eo quod summum*, præcipuum & potissimum est in aliqua re Ex. 30. 23. Jos. 11. 10. Psalm. 141. 5. & 137. 6. 6. *per Metonym.* etiam significat venenum Deut. 32. 33. quòd capiti serpentis vel aspidis insit: item venenum herbarum, ut cicutam; vel amara, ut absynthium, Deut. 29. 18. Psalm. 69. 23. Jer: 9. 14. & hinc 7. iterum per Metaph. amaram & acerbam afflictionem Thren. 3. 5. 19.

XV. h. l. *quarta & quinta* significatio obtinet, ut intelligatur Diaboli regnum & potentia in humanum genus, summaq; Satanæ excellentia & authoritas: caput enim princeps membrum

totius

totius corporis est, & in capite serpentis omnis vita & robur ejus consistit. Potentia autem hæc in *peccato & morte* consistit, quippe quæ Diaboli invidiâ in mundũ introiit Sap.2.24. cùm aliàs homo ad imaginem Dei creatus, omnibus animæ & corporis malis liber, beatam in paradiso vitam vixisset, donec vivus in cœlum esset translatus. Quin & Apostolus Ebr. 2. 14. apertè testatur, quòd Diabolus habeat *κράτος τοῦ θανάτου imperium & robur mortis* i.e. quòd homines veluti Tyrannus sub regnum & jugum suum redegerit, ut morte illos mulctare posset, sicut victor captivos. Mors autem est propter *peccatum* Gen:2.17. Rom:5.12.16. c.8. 10. 1.Cor: 15.21.22. Unde & mortis aculeus vocatur 1.Cor:15.27. peccatum verò est *legis* transgressio Rom.5.13.14. 1.Joh.3.4. peccatum dein secum trahit *æternam damnationem* Rom.5. 16. c. 6. 23. Deus enim est ignis consumens Deut:4.24. Ebr. 12. 29. coram quo peccatores sunt instar stipularum, quos etiam in æternum ignem conjiciet Psalm.21.vers.10. Quin etiam huc accommodari potest Deut.29.18. c.32. vers.30. ubi peccatum sub vocabulo ראש adumbratur. Est igitur Diaboli caput *mors & peccatum, quæ secum trahunt maledictionem legis, iram DEI & æternam damnationem.* Quando ergò *semen mulieris caput hoc conterere* dicitur, *meriti & satisfactionis Christi effectus* metaphoricè declaratur, qui est diabolicæ potentiæ, sævitiæ, & regni infernalis enervatio, peccati abolitio, mortis destructio, pro legis transgressione satisfactio, iræ Dei placatio, humani generis ex damnatione liberatio, justitiæ & vitæ æternæ reparatio. *Sicut enim contritô serpentis venenati truculentiq;* (verba sunt D.Glass. Rhet.sacr. p. 482.) *capite nihil ipsi roboris vel vitæ superest; ita potentiâ Diabolorum, & potestate, quam propter peccatum in homines gerebãt, per meritum Christi sublatâ, nihil ipsis in eos, qui meritum hoc verâ fide sibi applicãt, juris ampliùs vel roboris est.* Hæc jam est *ipsa pugna*, quâ semen mulieris Christus Diabolum est aggressus, & capite ejus contritô gloriosè de eo triumphavit. Factum autem illud est in ipsa Christi *morte* Ebr.2.15. per quam tamen Diabolus se jam vicisse autumabat: ibi *destruxit opera Diaboli* 1.Joh:3.8. *ibi chirographum, quod adversus nos erat, delevit & cruci affixit, expoliatosq; principatus ac potestates ostentavit palam, triumphans de illis per semetipsum.* Col.2.14.15. Deinde in *Descensu ad inferos factus est inferno pestis*

Os.13.14.

Os.13.14. In *Resurrectione*, ubi victorem Diaboli & mortis mundo se exhibuit; siquidem nisi vicisset, Diabolus ad superos eum redire non permisisset; at *ibi venit super eum* ὁ ἰσχυρότερος Luc: 11.22. qui in resurrectione *justitiam* nobis attulit Rom. 4.25. & peccata delevit 1. Cor. 15.17. Fecit idipsum in *gloriosa Ascensione*, ubi *captivam duxit captivitatem* Psalm. 68. 19. Eph. 4. 8. 10. 11. ubi *hostes posuit scabellum pedum suorum* Psalm. 110. 1. Tandem etiam plenariè Diabolum & mortem in *novissimo* die abolebit 1. Corinth. 15. 25. 26. 54.

XVI. ואתה תשופנו (ואתה *& tu*, est pronom. masc. 2. person. cum præfix. ו. תשופנו *conteres ei*, est 2. Sing. masc. fut. Kal, cum affix. 2. pers. masc. & refertur ad semen. Targ. ואת תהא נטר לה *& tu eris observans ei*; ubi iterum adhibet verbum נטר, sicut antea de semine mulieris, adeoq; videtur legisse cum LXX. τηρήσει (sicut & Philo legit l. 2. allegor.) *Complutensis* verò editio, iterum rectiùs habet τειρήσει. Vulgata vertit *insidiaberis*. Quod Huntlæus defendens in Instit. controv. p. 67. dicit ita *emphasin Hebraicæ vocis* עָקֵב *exegisse, quia* עָקַב *significet insidiari & ex insidiis aggredi*, ut sensus sit: *tu insidiaberis calcaneo ejus* h. e. *insidiando & non apertô Marte conteres ejus calcaneum*. Verùm Resp. 1. aliud est nomen עקב & aliud verbum, h. l. non verbum sed nomen positum est. 2. τὸ *insidiaberis* non refertur ad עקב, sed ad תשופנו propterea neq; proprietas verbi עקב ad hoc potest referri. Quòd verò Cornelius à Lap. comm. p. 51. inde versionem hanc legitimam esse defendere conatur, quod שוף significet *subitò & quasi ex insidiis aliquem percutere, obruere*, calcare, conterere, gratis dicitur; siquidem neq; Job. 9.17. neq; Psalm. 109. vers. 11. per hoc verbum percussionis insidiatoriæ significatio subintelligi potest, propterea neq; per vim textui affingatur. Rectiùs igitur Pagnin. Tremel. Piscator & alii verterunt per *conterere*. Lutherus autem dum vertit stechen/ secutus est *tum* linguæ Germanæ idiotismum, *tum* etiam Targum Jonathan, qui hoc reddidit per נכא i.e. percutere, lædere, nocere, & Hierosolymit. עכה momordit. Quòd verò *idem verbum* de pugna CHRISTI & pugna Diaboli adhibeatur, innuit id 1. *belli hujus cum Satana passionisq; Christi gravitatem*, 2. *conatum Diaboli & intentionem* studiumq; virulentissimum, quô Salva-

torem

ætorem vincere sibiq; subjicere & victoriam ab eo reportare ausus est. Sicut enim victoria CHRISTI hoc verbo indicatur, ita & ipse hanc appetiit, quemadmodum & verba activa apud Hebræos sæpê conatum tantùm significant. Quapropter omni vi se contra CHRISTUM defendit, omnesq; nervos adhibuit, ad exterminandum & perdendum hunc hostem suum Messiam.

XVII. עָקֵב Notat hic iterum Schindl. & alii omissum esse ב. Propriè autem *calcaneum* significat, à figura curva, quia deducitur à עָקוֹב i. e. *pravitas, curvitas* Es: 40.4. 2. per Metonym. *vestigia* alicujus Psalm. 77.20. Cant. 1 8. 3. Metaphor. *extremitatem* rei, Jos. 8. 13. Et hoc in sensu videtur Targum Onkelos intellexisse, cum dicit בסופא *in finem*; quod *dupliciter* posset accipi 1. ut notaret *finem dierum*, quo CHRISTUS in mundum venit, sicut Ebr. 1. 2. 1. Joh. 2. 18. 2. ut per finem perpetuum & indesinens Satanæ odium & bellum contra CHRISTUM intelligatur, & id maximè *in vitæ fine:* sicut id ipsum explicat D. Gerhard. in Genes. & D. Helvic. in desider. Matr. Evæ. Notatur autem 3. hac voce *eventus ex utraq; parte disparitas*, successus scilicet *ex parte seminis mulieris* felicissimus, quô serpentem non tantùm vicit, sed & caput ejus planè contrivit; *ex parte verò serpentis* conatus planè frustraneus, eventusque contrarius, quôd quamvis omnes suas vires adhibuerit, tamen in cruenta hac pugna unum tantùm calcaneum læsurus sit. Quamvis autem *vox calcanei* hîc sumatur Metaphoricè, pro eo quod vilius est, & sic opponatur capiti, quod est præcipuum & princeps membrum corporis, *respectus tamen unà habetur ad humanam Christi naturam*, quasi diceret: defendes te omni vi, semenq; mulieris i. e. CHRISTUM secundùm humanam naturam tentationibus gravissimis, miseriis, illusionibus, vulneribus, doloribus & angustiis inferni, ipsâ deniq; morte afficies; Verùm nihil tibi proderit; dum enim putas te vicisse, læsisti non caput, (unde omnimodus sequeretur interitus & πανωλεθρία) sed calcaneum, qui iterùm potest sanari. Conspicitur etiam inde 4. *Gloriosa Christi Victoria & Triumphus*, quem retulit ab hoste suo Diabolo; siquidem qui tot cruciatibus in passione est affectus, pedibusq; suis in cruce affixus, mansit tamen in media morte *vitæ Princeps* Act. 3. 14. *Jehova & Dominus gloriæ* Zach. 12. vers. 10. 1. Cor. 2. 8. & *filius Dei* Rom. 5. 10. & *Diaboli*

mortisq; Domitor Ebr. 2. 14. qui serpentem Diabolum sub pedibus conculcatum & contritum habuit, ut inde meritò canamus cum Paulo ἐπινίκιον: *absorpta est mors in victoria.* 1. Corinth. 15. vers. 55. 56. 57.

MEMBRUM II.

Sistens *Textus à corruptelis Heterodoxorum vindicationem.*

Quæstio I.

Qualis in hoc dicto serpens intelligatur?

XIIX. Quatuor cumprimis hîc sunt sententiæ. I. JUDÆORUM qui pro plumbeo suo judicio *merum & nudum serpentem* vers. 14. 15. intelligunt, *cui pœnæ loco vox ademta & venenum additum sit.* Joseph. l. 1. Antiq. Jud. c. 3. Et sic *inimicitiam hanc tantùm esse inter serpentes naturales & homines.* Cum quibus etiam facit Johannes Sommerus Photinianus contra Carolium lib. 2. c. 5. de quo infra. At hanc opinionem refutat 1. *Protoplastorum seductio.* Ille enim serpens hîc intelligitur, qui protoplastos seduxit. At non naturalis serpens principaliter eos seduxit, (quamvis fuerit seductionis instrumentum) quod satis *ex sermocinatione & ratiocinatione* ipsius colligitur. Differit enim vers. 1. de rebus religionis, quomodo intelligi debeat præceptum DEI, de cultu religionis, de præmiis dandis vel pœnis non infligendis; & id quidem sententiis tam artificiosô dolô fabrefactis, & exquisitè ad fallendum compositis, ut nō bestiæ agri Gen. 3. 1. 14. sed rationali creaturæ competant. 2. *Ipsius serpentis naturalis coditio.* Erat enim bona DEI creatura Gen. 1. 13. At nulla creatura nisi mala & rebellis DEO mandatum ipsius pervertit. 3. *Finis & scopus hujus promissionis*, qui erat consolari miseros protoplastos eorumq; posteros, quorum causa in illis agebatur; & punire seductorem: siquidem aliàs de hominis restitutione per Messiam ante Abrahamum nulla est promissio. At exigua homini esset consolatio aut damni compensatio, etiamsi mille serpentes naturales occiderit. 4. *Universalitatis denegatio.*

Nam

Nam rarò contingit unum occidere serpentem; nec competit omnibus hominibus, nec in omnibus locis, cùm multæ myriades vivant in illis locis, ubi non conspiciuntur: Adde quòd plus timoris homini injiceret naturalis serpentis contritio, & potiùs pro pœna habenda esset propter læsionem in calcaneo accipiendam, cùm tamen nec semper obtineret victoriam: quid quòd inimicitia hæc etiam aliis bestiis cum homine sit communis?

XIX. 5. *Dei compellatio.* Absurdum enim est, adeò prolixè solum serpentem physicum compellâsse, qui ut brutum nihil intellexit aut percepit. Nō enim hìc continetur *verbum creationis* per quod omnia facta Gen: 1. 3. 6. 9. 11. 14. aut verbum *benedictionis* Gen: 1. 27. aut *exclamatio rhetorica*, ut Es. 1. 2. aut *prosopopœja* ut Psalm. 19. 1. sed *judicis sententia*, quæ delinquentibus præsentibus & percipientibus pœnas denuntiat. 6. *Ipse pugnandi modus.* Nam certè potiùs instrumentis, fuste & clavâ se quis armabit aggrediendo serpentem, ad parandum ei exitium, quàm ut nudis ei pedibus insiliat. 7. *Justitia divina omnibus suum tribuens.* At si naturalis serpens tantùm est punitus, sequitur Diabolum autorem sceleris (quod jam probatum) impunem abiisse; vel si in naturali serpente tantùm corpus punivisset & non animam, quæ tamen in hac seductione fuit principium dirigens, (cùm sermo externus non sit sine sermone interno, & ratiocinatio solius animæ rationalis propriè sit) sequitur DEUM injustum esse, qui tantum scelus & verbi sui profanationem & aliorum seductionem tam levi pœnâ puniverit. Nec minùs justitiæ divinæ contrariatur, graviùs punire hominem, qui à serpente deceptus peccavit, quàm serpentem, qui destinatô consiliô & ex προαιρέσει non tantùm ipse mendaciô & blasphemiâ peccavit, sed & homines seduxit. Homo autem morti propterea & temporali & æternæ fuit obnoxius, serpens verò tantùm temporali: cùm tamen ad minimum æqualis debuisset esse pœna.

XX. II. CALVINI, qui comm. in h. l. *simpliciter*, inquit, *interpretor hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus &c.* Dein *verò transitum facit ad ipsum maleficij autorem*, quem non quidem *per comparationem* sed tamen *per literalem anagogen vult* intelligi. Quem etiam defendit Rivetus exer. 35. in Genes. p. 172. dicens,

 externè

externè & secundùm verborum corticem hic vers. 15. æquè ut v. 14. quæcunq; dicuntur, serpenti tanquam Satanæ organo accommodari. Sed tamen Satanam intelligi, & in pœnis serpenti inflictis pœnas Satanæ inflictas enunciari, ut sensus unus alteri includatur, ut fit in typis, & à Spiritu Sancto uterq; intentus fuerit, adeoq; etiam hic historicus seu literalis haberi debeat. Ita ut nec soli serpenti, nec soli Diabolo, sed Diabolo in serpente, & serpenti propter Diabolum, ea verba conveniant p. 183. Sic & Oecolampadius & Musculus eandē sententiam amplectuntur; nec non Bellarm. l. 3. de amiss. grat. c. 11. itemque Cornel. à Lap. comment. in h. l. hæc tam *serpenti quàm Diabolo ad literam* competere dicit.

XXI. Verùm *serpentem naturalem non posse intelligi*, contra Judæos suprà demonstratum est, quæ etiam contra hos, ut qui unam cum iis tibiam inflant, adhiberi possunt. Addimus tamen unam atq; alteram rationem, scilicet in hoc *vers. non ampliùs intelligi serpentem naturalem, sicut* vers. 14. *sed Diabolum.* 1. *Ob antegressam serpentis maledictionem.* Odium enim naturale, quod illi per איבה denotari volunt, jam antè in serpentis maledictione, ejusq; proscriptione & exclusione constitutum erat. 2. *Ob particulæ copulativæ* ו *insertionem*, quæ emphaticè innuit, novam hic inchoari sententiam, novamq; compellationem Directoris serpentis; unde & Piscator vertit zu dem. 3. *Propter oppositionem.* Opponitur enim semen mulieris, i. e. solus CHRISTUS serpenti. At si naturalis serpens intelligitur, inimicitia hæc omnibus hominibus ex æquo competit. 4. *Ob impletionem.* Quia CHRISTUS, qui per semen mulieris intelligitur, nunquam naturalem serpentem contrivit, sed Satanam 1. Joh. 3. 8. Apoc. 12. 7. 5. *Ob ipsam Scripturæ expositionem*, quæ semper hanc seductionem exponit de Diabolo. Joh. 8. 44. 2. Cor. 11. 3. 14 qui sæpissimè serpens dicitur in Scriptura Es. 27. 1. Luc. 10. 19. vid. Meisn. Anthrop. pag. 103. Huc 6. *faciunt verba Megalandri nostri* Lutheri comm. in h. l. *Hæc sunt*, inquit, *quæ propriè ad judicium Satanæ pertinent v. 15. & in quibus firma consolatio piis proponitur: superiora historica sunt & ad serpentem pertinent* &c. Et de instrumento seductionis fol. 45. ait: *Prior pars (scil. v. 14.) tota figurata est; loquitur enim DEus cum serpente, & tamen certum est serpentem hæc verba non intelligere &c. Serpentem igitur nominat, sed cum Satana*

præci-

præcipuè agit, dominante serpenti & decipiente homines. Et fol. 46. *Etsi autem dixi & verum est, DEum sic cum serpente loqui, ut tamen potissimùm spectet ad Satanam, sicut sequentia clariùs ostendunt; tamen mihi non placet, ut hæc quæ ad naturam serpentis rectè quadrant, per allegoriam trahamus ad Satanam. Sunt enim serpens & Satan conjuncti in peccando, quanquam Satanas actor, serpens quasi instrumentum est: ideo etiam conjunguntur in pœna. Sed serpens tantùm corporalem pœnam fert, Satanæ autori & actori aliud judicium paratum est.* Et fol. 47. *Non agit hîc vers. 15. Moses ampliùs de serpente naturali, de Diabolo loquitur, cujus caput sunt mors & peccatum &c.* Manet ergò quòd tantùm in his verbis intelligatur Diabolus.

XXII. At, inquis, etiam Calvinus, & reliqui suprà nominati, intelligunt Diabolum sensu literali, *quòd is principaliter & maximè intellectus sit à Spiritu Sancto*, ut ait Rivetus l.c. Verùm Resp. 1. Aut serpens intelligitur naturalis, aut Diabolus. Si hoc, habemus quod volumus; si illud, omninò cum Judæis consentiunt, nec ullum contra eos firmum argumentum producere possunt. 2. Utrumq; autem simul *sensu literali* intelligere, *& per literalem anagogen*, est absonum; cùm unius cujusq; vocis & contextûs biblici unus tantùm sit literalis sensus; vacillaret enim aliàs Scripturæ Sacræ *veritas* contra Joh. 17. 17. evanesceret ejusdem *claritas* contra Psalm. 19. 9. 2. Cor. 4. 3. 4. caderet ejusdem *certitudo* contra 2. Pet. 1. 19. imò nec posset nos σοφίσαι instruere & informare in fide & vita, 2. Tim. 3. 15. imò ex diversa significatione potiùs errores pareret. 3. Cùm ergò *sensus literalis sit is, qui & Spiritûs Sancti intentioni & contextui & Scripturæ analogiæ proximè respondet, sive verba ibi sint propria sive tropis affecta*, isq; tantùm sit unicus, utique adhuc nostra stat sententia, intelligi sensu literali metaphoricè per serpentem hunc Diabolum, cùm & *intentioni DEI* (consolari protoplastos & punire Diabolum) & *contextui* (seductor enim is fuit Diabolus) & *Scripturæ analogiæ* (explicatur enim de Diabolo 2. Cor. 11. 3.) proximè respondeat.

XXIII. III. Sententia est PATRUM, qui tum vers. 14. tum v. 15. allegoricè explicant, quod prior facit Philo, qui lib. περὶ κοσμοποιΐας, itemq; in lib. ἀλληγορ. ab historia penitus recedens in allegoriam totum hunc locum convertit. *Sunt hæc*, inquit, *fi-*

gurata documenta ad allegoriæ scrutationem invitantia, per latentes conjecturas, quas si quis sequatur, ut decet, serpentem hunc obscurè voluptatem subindicare interpretabitur. Sic Jacob Bonfier comm. h. l. de *serpente naturali secundùm literam & allogoricè de Satana intelligi* ait. Sic Gregor. Magn. in c. 1. Job. calcaneum interpretatur *de bonæ actionis fine, cui Diabolus suos laqueos ponat, ut illum intricet; caput autem conterere* exponit *per primis Diaboli suggestionibus resistere*, ut etiam Aug. Psalm. 45. v. 38. dicit: *Si Diabolus tuum calcaneum observat, tu caput illius observa. Caput illius est initium malæ suggestionis, quando incipit mala suggerere tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur consensus. Itaq; vitabis caput ejus, atq; adeò non apprehendet ille calcaneum tuum.* Et quæ sunt ejusmodi allegoriæ plures, quarum aliquas vide Officin. Bibl. D. Walth. p. 654. seq. Verùm 1. aliud est *sensus mysticus* seu allegoricus, aliud *literalis*; *hic* non nisi unicus est, *ille* pro diversitate applicationis potest esse varius: *hic* interpretationem genuini sensus præbet, *ille* allusionem tantùm ex textu deductam; *hic* fructus sistit, *ille* tantùm folia. 2. Notandum tamen Patres, quando verum rimantur Protevangelii sensum, tum nostræ sententiæ ex asse esse addictos: quare nec Huntlæus controv. l. 1. p. 67. ad Patrum allegorias potest provocare. vid. D. Glas. Gram. S. p. 904. 3. Placet huc Lutheri verba adscribere comm. super h. l. fol. 45. *Obscuritas*, inquit, *fortasse in causa fuit, ut textus, qui omnibus debebat esse notissimus, tamen à nemine, quod ego sciam, diligenter & accuratè explicatus sit &c.* Ubi citat etiam Patrum allegoricam explicationem. Et fol. 46. super v. 15. *Possunt quidem hæc*, inquit, *quoq; ad allegoriam trahi, sed & minus propria sunt & parùm firma in dimicatione. Nam quod ad ipsam rem attinet, Satan propter peccatum de cœlo turbatus & condemnatus est, & non incedit ampliùs ut bos aut hinnulus, sed repit, h. e. apertâ vi pios non invadit, insidiis utitur, quas tamen pii, cùm ad verbum respiciunt, intelligunt, & vident quanta ejus sit deformitas & abhorrent ab eo. Ac sanè gestus ille, quòd sic reptat nec ingreditur erectus, ostendit, quòd fracta ejus tyrannis sit, nec possit Ecclesiæ tantum nocere quantum vellet.* Et addit: *Hæc per allegoriam possunt dici, sed Mosis sententiam non explicant, ideò non sunt propria. Quare cum de Satana dicendum est, sequamur alia Scripturæ testimonia propria, certa, firma &c.*

XXIV.

XXIV. Quarta demum sententia NOSTRA est, qua statuimus intelligi debere v. 15. ipsum Diabolum, & quidem solum, cùm v. 14. ad solum serpentem naturalem spectet. Quæ sententia quia satis jam probata est, non opus est prolixiùs de ea agere.

Quæstio II.

Quid intelligatur per semen mulieris?

XXV. Calvinus per semen mulieris intelligit omnes omninò homines: cùm verò multi serviant Diabolo, intelligit deinde Ecclesiam & credentes, quorum caput CHRISTUS. Sic enim ait comm. in Genes: *Atq; ut ostendat Deus non unius tantùm seculi fore odium, nominatim dicit, inter semen tuum & inter semen ejus, quàm latè scilicet propagabitur genus humanum.* It: *Multi semen pro Christo sine controversia accipiunt, acsi dictum foret, exoriturum ex mulieris semine aliquem, qui serpentis caput vulneraret. Eorum sententia facilè nobis probaretur, nisi verbum seminis nimis violenter torquerent. Quis enim concedet nomen collectivum de uno tantùm homine accipi?* Et: *generaliter ergò alii semen rectiùs interpretantur de posteris. Sed cùm experientia doceat, multùm abesse, quin supra Diabolum victores emergant omnes filii Adæ, ad caput unum venire necesse est, ut reperiamus ad quos pertineat victoria &c. scil. ad Christum, cujus virtus diffunditur in omnes fideles, atq; ita,* ait, *communem totius Ecclesiæ benedictionem esse.* Musculus intelligit primò *mulieris posteritatem, dein Christum cum reliquo electorum corpore:* sic & Marloratus & Oecolampadius, itemq; Paræus *electos* volunt intelligi. Vid. Marlorat. Biblioth. exposit. Eccles. in h. l. Sic & Rivetus p. 183. d. l. collectivè *pro posteris Evæ, qui non degenerant in semen serpentis,* accipit. Hontlæus itidem d. l. p. 64. denotari asserit *filios Ecclesiæ* (quam per mulierem intelligit) *nec tamen excludi Christum* p. 69 *ubi Maria ceu præcipuum membrum Ecclesiæ, quæ post Christum fortissimè contriverit Satanæ caput, præcipuâ quâdam ratione intelligatur* p. 63.

XXVI. Ita scilicet Diabolus CHRISTUM sui contritorem non obscurare tantùm, sed & eripere nobis conatur. Verùm contra hos ipsos firmiter defendimus, literaliter neminem nisi Christum *per semen mulieris* denotari, & hunc καθ' ἐξοχὴν, μονοπροσώπως

καὶ

καὶ ἐνικῶς hic proponi. Probamus verò id ipsum 1. *Ex Dei intentione & verborum scopo*, qui erat consolari protoplastos nostros, qui (ut Lutheri verbis utar fol. 41. 43.) *amissâ fiduciâ in DEUM pleni erant metu & pavore, ut cùm spiritum seu ventum audiverint, statim cogitaverint Deum adesse, ultorem, & se absconderint. Imò erat Adam comm DEO constitutus in media morte & inferno.* Ibi igitur omnimo consolatione opus erat, quâ mentes eorum in tanto angore constitutæ recrearentur. Unde autem illud solatium nisi ab eo in quo *requiem animarum* habemus? Matth. 11. 29. *per quem abundat consolatio nostra?* 2. Cor. 1. 5. *In quo est*, (ut Hieronym. h. l. explicat) *consolatio nostra?* Phil. 2. 1. & *in quo solo salus?* Act. 4. 12. Hinc teste Luthero fol. 46. *in eo sol consolationis anteà quasi tenebris caliginosarum nubium involutus, supra nubes attollitur, & jucundissimô lumine territa corda aspicit, quòd Adam & Eva non solùm non audiunt sibi maledici, sicut serpenti, sed quòd audiunt se constitui tanquam in acie contra damnatum hostem, idq; spe auxilii, quod eis laturus sit Filius Dei, semen mulieris. Hîc igitur remissio peccatorum & plenaria receptio in gratiam Adamo & Evæ ostenditur, tanquam absolutis à culpa & redemtis à morte, tanquam liberatis jam ex inferno & illis pavoribus, quibus in conspectu Dei tantùm non occisi sunt. Hanc primam consolationem & tanquam fontem omnis misericordiæ & omnium promissionum scaturiginem primi parentes & eorum posteri, summâ diligentiâ didicerunt* &c.

XXVII. 2. *Ex operis conditione.* Conterere enim caput serpentis, i. e. vincere Diabolum, destruere mortem &c. omnia talia sunt, quæ non nisi soli DEO competunt Es. 25. 8. Os. 13. 14. Zach. 3. 2. Rom. 16. 20. &c. 3. *Ex absurdorum consecutione.* Si enim intelliguntur omnes homines, necessariò sequitur 1. *Quòd* illi per se & secundùm literam conterant caput Diaboli, at etiam homo superatus est à Diabolo adhuc in statu integritatis, quanto minùs in statu corruptionis vinceret Ps. 49. 8. quid quòd nec mortē temporalem vincere possint Rom. 5. v. 12. seq. 2. Sequitur nec Adamū nec posteritatem ejus ullū adversus Satanam, iram DEI & mortem solatium habuisse, 3. Mosen describere originem omnium malorum & non simul addere eorum remedium. 4. Posteros Adami non habuisse fidem salvificam contra Ebr. 11. 4. seq. at salus in solo

CHRISTO

CHRISTO est Act:4.12. c.15.11. 4. *Ex aliarum promissionum considera-tione.* Omnes enim promissiones, quæ de CHRISTO factæ sunt, etiam *nomen aliquod* ejusdem exprimunt, quod per inductionem de omnibus posset probari, utpote Gen: 49. 10. *Num:* 24. 17. *Deut:* 24.17. 1.Par: 18. 11. Jer:23.5.6. Dan:9.24. Mich:2.13. Zach.6.12. cap. 13.7. Mal.3.1. Agi autem hîc de CHRISTO non potest negari, ne ab ipsis quidem Judæis, quamvis libenter negarent (cùm necesse sit ut fateantur omnes miserias à lapsu Adæ profluxisse, & Messiam his afferre debere medicinam, quemadmodum etiam eò collimant Paraphrastæ Chaldæi, Hierosolymitanus & Jonathas, in *diebus Messiæ remedium futurum esse à serpentis morsu generi humano:* sciunt Messiam debere reducere salutem & justitiam Es: 53.11. Jer: 23.5.6. Dan:9.24. Vid. Helvic. desider. Evæ p.38.39.) Ergò omnino etiam aliquod nomen Redemtoris hîc contineri certum est, cùm reliquæ promissiones omnes ex hâc profluxerint, & alioquin promissiones omnes in CHRISTO veritas & Amen sint. 2.Cor:1.20. At nullum aliud nomen hîc habetur quâm semen mulieris.

XXIIX. 5. *Ex vocabuli seminis usurpatione:* Usurpatur enim non tantùm collectivè, quam usurpationem Huntlæus d. l. p. 64. *vult esse propriam*, cùm tamen etiam quodlibet granum vocetur semen, sed etiam individualiter, de quo suprà. 6. *Ex ipsius Dei explicatione.* DEUS enim ipse de Messia explicat, dum ad Abrahami familiam semen benedictum restringit Gen: 22.18. Quæ promissio ratione subjecti & prædicati planè in sensu convenit cum hac nostra, nisi quòd quædam differentia sit ratione objecti, cui facta, temporis & loci, item claritatis, vid. D. Meisner. Theol. Photin. p.751. D. Walth. Offic. Bibl. à pag. 596. Dein repetitur ea Isaaco Gen: 26. vers. 4. & Jacobo Gen. 28. 14. Arctatur dein ad familiam Davidis 1. Par. 17. 13. Psalm. 72. 17. Unde & ab Apostolo refertur ad CHRISTUM Gal. 3.16. Act. 3.25. 7. *Ex Apostoli argumentatione.* Argumentatur enim h. m. Ubicunque vox seminis in bonam partem in promissione bonorum spiritualium & quidem in singulari accipitur, ibi seminis vocabulum sumitur individualiter de CHRISTO (si enim non admittatur hæc propositio, argumentatus esset ex particulari, & enervaretur argumentum.) Atqui h. l. vox seminis in bonam partem in promissione bonorum spiritualium & quidem in singulari adhibetur. E.

XXIX. 8. *Ex beneficii hujus ad Christum applicatione.* Per caput Diaboli intelligi potentiam ejus, mortem &c. suprâ dictum. Contritio verò horum CHRISTO attribuitur Psalm. 2. 9. & 68. v. 19. & 110. vers. 1. Es. 35. 4. c. 49. 24. c. 53. 11. c. 59. 16. 17. 18. c. 63. 3. Jer. 23. 5. 6. Dan. 9. 24. plura vid. apud Walth. d. l. p. 612. 9. *Ex adjuncta passione.* Quemcunq; pari conatu Diabolus conterere laboravit quô ab ipso contritus est, ille est semen mulieris. At Christum pari conatu &c. E. 10. *Ex interpretum veterum* consensione. LXX. enim habent αὐτὸς, licet σπέρμα præcesserat; intellexerunt ergò ἐννικῶς. Sic & Targum Onkelos & Hierosolymitanum *de remedio contra morsum præstando in fine dierum, in diebus Regis Messiæ, explicant.* 11. *Ex ipsius Evæ intellectione.* Intellexit enim verba illa *possedi Virum Jehovam* de contritore Messia, quamvis in applicatione ad certum objectum erraverit. De quo bene Lutherus Tom. 8. Jenen. Germ. fol. 157. Da Eva Cain gebohren hatte / gedachte sie vieleicht / weil daß der erste gebohrne Mensch auff Erden were / würde er der beste seyn / vnd meinet er solte der Same des Weibes seyn / sie aber die Mutter oder das Weib / darumb spricht sie: ich habe den Mann den HERRN / alß wolte sie sagen: daß wirt der Mann der HERR seyn / davon Gott geredt hat / des Weibes Same / etc. nennet das Kind einen Mann vnd Herrn oder Gott / denn hie stehet der grosse vnd eigene Nahme Gottes JEHOVAH, der nichts anders bedeutet denn allein GOTT selbst in seiner Natur oder Wesen. Vid. Helv. d. l. p. 6. & D. Gerh. Homil. part. 1. p. 240.

XXX. 12. *Ex ipso eventu*, qui ceu *optimus* oraculorum divinorum *interpres* communem hanc totius Ecclesiæ expositionem satis comprobavit, Matth. 5. 17. Joh. 12. 31. Rom. 5. 11. 12. 15. 1. Cor. 15. 54. Eph. 4. 8. Col. 2. 15. 1. Joh. 3. 8. Ebr. 2. 14. 15. 1. Pet. 3. 18. 19. &c. 13. *Ex piorum veterum testificatione.* Justino Martyre dial. Tom. 2. p. 89. Irenæo Martyre l. 3. contra hæres. c. 38. p. 225. & l. 4. cap. 78. p. 313. Cypriano Martyre l. 2. contr. Judæos c. 8. Ex recentioribus B. Lutheri testimonium suprà est adductum. Sic etiam Dn. Philip. Melancht. *verè*, inquit, *caput serpentis à semine mulieris cōtritum fuit, & quidem à Christo Deo & homine & inter signa victoriæ fuit resuscitatio multorum mortuorum.* Epist. ad Senat. Hamburg. 14. *Addimus etiam quorundam adversariorum confessionem*; ut sunt Paræus in Genes. & Fran-

& Franciscus David in disp. Albana Ann. 1563. mense Martio habita circa fin. *Subinde*, inquit, *hortor Ecclesiam, ut de Deo Deiq; operibus semper loquatur juxta ipsius revelatum verbum, & tum patrem Deum agnoscat, quando creavit Angelos & homines, simul atq; Filium promisit, sicut scriptum est, Gen. 3. dabo tibi semen mulieris, & ero illi in patrem & ipse mihi erit in Filium 2. Sam. 7. Petrus explicans primam promissionem ordiens à Samuele Act. 3 dicit: nunc misit Deus Filium suum benedicentem vobis, quem disposuerat.* Hæc illa.

Quæstio III.

An pronomen הוא *rectè legatur* הִיא, *& an sit in vulgata rectè expressum per IPSA?* Neg.

XXXI. Pontificii pronomen הוּא *ipse*, quod ad זרע refertur, referunt ad אִשָּׁה & legunt הִיא & in vulgata IPSA. Idq; ut eô meliùs errorem suum de *μαριολατρεία* stabiliant. Hoc enim patet ex iis locis, ubi contritio serpentini capitis ab ipsis Mariæ blasphemè adscribitur, utpote in Antidotar. anim. fol. 118. *Adoro & benedico sanctissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis caput calcasti.* In Mariali Ann. 1493. Argentinæ edito l. 1. c. 5. *Ad ultimum fuit Dominus cum Maria, & Maria cum Domino in eodem labore, & in eodem opere redemtionis: Mater misericordiæ adjuvit patrem misericordiarum in opere salutis, unde prædictum est de prima muliere: faciamus ei adjutorium. Quid ergò est, quod Dominus dicit Es. 63. torcular calcavi solus & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est Domine, quòd non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* Et in Antiphon. de Domina nostr. *Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis, hanc peccatores devotè adeamus & rea pectora tundamus.* Et in oratione de omnibus membris Mariæ; *adoro & benedico beatissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis cum omnibus pompis ejus caput calcâsti* &c. Plura possunt videri apud Chemnit. Exam. Concil. Trid. part. 3. de Invoc. Sanct. D. Gerh. Loc. C. Tom. 8. §. 348. 435.

XXXII. Ut igitur falsi & blasphemi sunt *in sua hypothesi*, ad quam probandum procul dubio pronomen IPSA ab insulsis Mo-

machis est substitutum, & in vulgata versione à Pontif. Sixto V. & Clemente VIII. ex decreto concilii Tridentini restitutum, & Romæ atq; Antverpiæ Ann. 1602. typis fœminino genere exscriptum: *ita etiam absurdi* sunt in pronominis hujus mutati mordicus suscepta defensione, ita ut Huntlæus non dubitet affirmare, *non ex inscitia, socordia aut incuria obrepsisse fœmininum genus loco masculini aut neutrius, sed de industria hoc factum esse & justissima de causa.* l. 1. controv. p. 63. Ut autem de statu controversiæ rectius constet; *Non hîc est quæstio de particulari aliquo exemplari*, ubi הִיא vel הִוא loco הוּא irrepserit: Hoc enim aliis nihil præjudicaret, cûm sit particulare; *nec de vulgatæ editionis diversâ lectione*, an quidam codices *Ipse* vel *Ipsa* legant, ut Bellarm. Tom. 1. controv. l. 2. de Verb. Dei c. 12. p. 41. conatur effugere; quod tamen esset contra ejusdem authentiam: *nec an aliquô rationis miniô colorari possit* falsa versio; non enim quid possit, sed quid oporteat videndum: *sed an vulgata seu Romana versio* (ut vocatur à Cornel. à Lapid.) *legens IPSA, in veteris S. Codicis exemplaribus fundetur, & ut vera & authentica defendi debeat?* id quod negamus, & contrà statuimus legendum esse, הוּא, & in latino *Ipse* vel *Ipsum*.

XXXIII. Probamus id ipsum 1. *Ab exemplarium Ebraicorum constanti lectione*. Legere enim & Judæos & Christianos per aliquot secula editos codices הוּא יְשׁוּפְךָ in hunc usque diem ipsi Adversarii fateri coguntur. Bellarm. l. cit. Ribera in Habac. c. 3. Pererius l. 3. comment. in Dan. Lindan. de Optim. Interpret. gener. l. 3. p. 126. 127. Cornel. à Lap. in c. 3. Gen. Canus l. 2. c. 15. Loc. Theol. Andrad. Oleaster. comment. in Gen. Pagnin. Arias Mont. &c. (quorum loca allegat Wittak. in disp. controv. advers. Bellarm.) Imò Ipsi Theologi Lovanienses in catalog. variarum lectionum, qui reperire est in apparatu ad Bibl. reg. id fatentur. Unde nihil efficit Bellarm. loc. cit. dicens *se unum exemplar vidisse quod legat* הִיא; est enim à particulari; & dubium non est quin editionem Plantini Antverpiensem interlinearem regiis Bibl. Ann: 1572. additam intelligat, in qua à Guidone Fabricio autoritate Principis Miranduli adducto הוּא mutatum est in הִיא, sed Deô dirigente irrepsit הִיא, cum nota כְּתִיב i. e. *alia scriptio*, sed in margine sine קְרִי i. e. *alia lectio*, quæ dein Ann. 1584. iterum correcta est.

Vid.

Vid. Rivet. Exerc. 36. in Gen. Sed quid ex hoc probabit? 2. *Ab analogiæ Grammaticæ consensione & optima verborum cohærentia.* Omnia enim, & *nomen* mascul. זרע & *verbum* mascul. & *pronomen* masc. ישופך (quod aliàs esset תשופך) & *affix.* נו in תשופנו (quod aliàs esset תשופנה quod refertur ad זרע, testantur non legendum esse היא sed הוא. 3. *Ab analoga fidei sententia.* Refertur enim הוא ad זרע, per quod solus CHRISTUS intelligitur, & de Maria (si ad אשה refertur, per quod tamen non Mariam intelligi certum est) non posse dici patet ex prædicato, quod opus est solius potentiæ divinæ & hominibus omninò derogatur. 4. *A Masoretarum accurata observatione.* Mirificam enim hi diligentiam in observandis vocibus collocârunt, *notasq;*, ubi à communi loquendi consuetudine receditur, in margine collocârunt, quin & in *Masora magna* in certas classes redegerunt; ut ex Dn: Buxtorf. Tiberiade constat. At verò quòd היא pro הוא irrepserit ne verbum quidem dicunt; nec ulla etiam alia lectio in indiculo variar. lection. Bibliorum Regiorum, quam Judæi admittunt, observatur. 5. *A Pauli Apostoli ad Christum applicatione.* Gal: 3. 16. ἐφ' ἑνὸς, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστός.

XXXIV. 6. *Ab interpretum consensione.* Targum Onkelos habet הוא & *semen* reddidit *per filium.* Hierosolymitanum in plurali expressit: *& quando filii mulieris operam dabunt legi & fecerint præcepta, tunc studebunt tibi conterere caput & occident te*, id verò primariò de CHRISTO intellectum vult, ideò addit ביומי מלכא משיחא i.e. *in diebus Regis Meßiæ.* LXX. habent αὐτὸς, uti etiam ita exemplaria celeberrima legunt, utpote *Complutense* & *Vaticanum*, ipsæ etiam Germanæ editiones & Aldina; sic & Philo Judæus, qui satis incorruptam versionem Græcam habuit, eam (de qua quòd non αὐτὸς legat sed αὐτὴ seu *Ipsa* Johan. Picus falsò affirmat in Epist. ad Baptist. Mantuan.) lectionem in masculino comprobat. allegor. p. 752. vid. Rivet. loc. cit. ut inde Huntlæus p. 71. non possit ullos codices pro se allegare; quin is sibi ipsi p. 74. contradicit, ubi multos habere αὐτὸς affirmat. Quin & *ipsa latina versio pro nobis stat*, quæ legit ipse, non ipsa, teste Robertô Stephan. in præfat. Bibl. Vatabl. unde & in recentiore bibliorum editione, quæ jussu Sixti V. & Clementis IIX. prodiit, restitutum est ipse; id quod etiam in-

 dicat:

dicat *indiculus variarum lectionum* vulgatæ ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus collectus, qui est in opere Regio magno, adornatus ab aliquibus Theologis in Academ. Lovaniensium, qui ita ad Gen. 3. 15. habet: *Ipse conteret caput tuum M. S. H. C. G.* (ubi M. S. notat lectionem à lectione excusa in Regiis Bibliis diversam, petitam ex antiquissimis exemplaribus, quæ propiùs accedit ad H. i.e. Hebræam, C. i.e. Chaldæam, G. i.e. Græcam veritatem) *Irenæus l. 3. advers. hæres. c. 38. videtur legere IPSUM, ut referatur ad semen, quam lectionem etiam admittunt Hebræa & Chaldæa.* vid. Franz. Schol. Sacrif. Disp. 2. §. 40. seq. D. Meisn. Depuls. Excub. Papist. Reiching pag. 94. 95.

XXXV. 7. *A multorum Patrum confirmatione.* Aliquos jam vidimus: adjungimus Hieronym. quæst. Hebraic. in Genes. Tom. 3. f. 63. qui ait: *Septuaginta Interpretes legunt Ipse servabit caput tuum, meliùs habetur in Hebræo: Ipse conteret caput tuum.* vid. & Isidor. Pelusiota Epist. 426. Serapion apud Aug. quos citat Wittak. T. 1. p. 389. qui omnes & ad CHRISTUM applicant & vel *Ipse* vel *Ipsum* habent. Quamvis verò quidam Patres legant Ipsa, fit tamen illud quia Ebrææ linguæ fuerunt ignari, & secuti sunt vulgatam versionem. 8. *Ab ipsa multorum Adversariorum testificatione*, eorumq; non infimi ordinis, qui allegati suprà, quibus adjungimus ipsum Leonem Papam (ut qui errare nequeat) init. serm. 2. de nativ. Dn. *denuncians*, inquit, *serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scil. in carnem venturum, Deum hominemq; signans.* Ex quibus omnibus patet non posse loco הוּא stare הִיא, aut loco Ipse vel Ipsum Ipsa.

Quæstio IV.

An ex hoc loco demonstrari possit CHRISTUM *fore filium virginis?* Aff.

XXXVI. Paræus in comm. de hoc dubitat, cùm semen mulieris alibi significet quoscunq; filios, sive in conjugio sive ex scortatione natos. Verùm optimè id ex hoc loco demonstratur. Variæ tamen sunt sententiæ: *Quidam* enim secundùm literam per

mulie-

mulierem intelligi volunt Mariam, ita ut illa in τῷ *ejus* intelligatur: *semen ejus*, ubi τὸ EJUS sit quasi individuum vagum; quod successu temporis ad Mariam virginem sit restrictum, Es. 7. 14. præsertim in complemento Luc: 1. 34. Gal. 4. 4. B. Luther. in Gen. fol. 48. *mirabilis*, inquit, *Synecdoche est, mulieris semen, id sonat in genere de omnibus Individuis, & tamen de uno tantùm individuo, de Mariæ semine, loquitur, quæ mater est sine copulatione cum masculo. Sicut igitur prima particula, ponam inimicitias &c. in genere sonat de omnibus mulieribus (voluit enim Deus Satanæ omnes mulieres suspectas facere, contrà voluit piis spem certissimam relinquere, ut ab omnibus parientibus exspectarent salutem hanc, donec illa verè pareret) ita hic semen ipsius maximè individualiter, ut sic dicam, loquitur de semine, quod ex sola Maria de tribu Juda cum Joseph Desponsatâ natum est.* Et fol. 47. *Eodem modò omnium fides confirmatur, ut ab illa hora, quâ promissio facta est, semen illud exspectarent & se consolarentur adversùs Satanam. Itaq; Eva cùm primogenitum suum peperisset, sperabat se jam habere contritorem illum. Hæc spes etsi fallebat eam, tamen vidit ex posteritate sua nasciturum esse tandem hoc semen quandocunq; nasceretur. Atq; ita quod ad homines quoq; attinebat promissio hæc clarissima & simul obscurissima fuit. Esaias c. 7. nonnihil lucis ad eam attulit* &c. Et pòst: *pepererunt mulieres ad diluvium usque & postea usque ad Mariam, sed illorum semen non potuit verè dici semen mulieris, sed potiùs semen viri dicitur. Sed quod ex Maria nascitur, conceptum est à Spiritu Sancto; & est verum semen Mariæ.*

XXXVII. Alii ita virginitatem Mariæ ex hoc loco demonstrare volunt, quatenus Eva repræsentavit in virginitate sua adhuc Mariam, præsertim cùm etiam illa tanquam filia ejus simul intelligatur. *Alii* præsertim Fr. Junius prælect. super c. 3. Gen. inde vult probare, quòd *cæteri homines non propriè specialiterq; dicantur semen mulieris, ita ut simpliciter ex iis geniti sint, sed potiùs semen viri & mulieris, i.e. semen concretum ex duplici, non verò ex unico principio excretum; propriè verò Christum esse semen mulieris, i.e. filium fœminæ factum ex fœmina.* Verùm Resp. 1. licet libenter concedamus Messiam debuisse esse filium mulieris Jer: 31. vers. 21. & *natum esse ex muliere* Gal. 4. 4. sumtô vocabulô *mulieris* non pro maritata,

sed quæ

sed quæ virum nullum passa est, sicut Genes: 1. 27. unde & expresse העלמה vocatur Es: 7. 14. quodq; Maria fuerit illa mulier, ex qua natus est CHRISTUS, quæ *ante, in & post partum* virgo mansit. Attamen 2. quæstio hic est an ea *literaliter* h.l. exprimatur per mulierem? quod negatur, siquidem DEUS hîc non sermonem instituit cum Maria, sed cum Eva, quam solatiô erigit contra Satanam, quòd *ejus semen* i.e. unus ex ejus posteris debeat opus hoc præstare. Idq; 3. etiam videtur ex Evæ intellectu; putavit enim ex se fore nascendum Messiam Gen. 4.1. Ideoq; 4. disting. inter. *analogum textui & analogum fidei*, inter sensum literalem & anagogicum seu accommodationem aliquam; illum hîc de Maria planê negamus, hanc ut piam & orthodoxam libenter admittimus. Sicut & Tertul. l. de carn. Christ. p. 34. ita accommodavit: *Quemadmodũ per virginem*, inquit, *adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis, sic in virginem introducendum erat DEI verbum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem.*

XXXIIX. Firmiter tamen & *per immotam consequentiam* virginis filium debuisse esse CHRISTUM demonstrari potest. Sicut enim 1. semen h.l. sumitur *individualiter*, licet aliàs sumatur collectivè, ita etiam contra Paræum *semen mulieris non quoscunq; filios, sed peculiarem* aliquem significat. 2. Quia E. huic semini tribuitur *singulare opus*, contritio scilicet Diaboli, quod infinitum, cœleste & divinum, Satanæq; planè contrarium est, 1. Joh. 3. 8. sequitur quôd ipsum semen sit *sanctum, innocens, impollutum, segregatum à peccatoribus*, Ebr. 7. 26. 27. Cùm verô nulli homini naturali cursu ex cohabitatione viri & mulieris nato hoc competat, (nascuntur enim in peccatis & proin non tollere possunt peccatum) sequitur, quod planè singulari modô hoc semen sit natũ, *eô scilicet, quem ipse Deus successu temporis in verbo aperuit.* Unde & Helvicus l. c. p. 49. ex hoc infert: *quid aliud posset semen significare quàm filium mulieris solum ac proinde virginis? exclusô enim consuetô modô nascendi è viro & muliere, & nihilominus positô partu ac filiô mulieris, ne fingi quidem aliud potest quàm partus & filius virginis.*

MEM-

MEMBRUM III.

Ponens *Aphorismos quosdam Textum illustrantes.*

Aphorismus I.

Continetur hoc loco πρωτευαγγέλιον, *seu prima de Messia Salvatore promissio. Contra Socinianos.*

XXXIX. Socinianos hoc negatum ire, patet ex Johanne Sommero Pirnensi, qui lib. 2. c. 3. fol. 73. contra Petrum Carolium Pannonium impiè scribit: *Hæc verba non denotare promissionem, sed maledictionem temporalē tantummodo inter homines & serpentē naturalem, cùm nulla facta sit promissio de Messia ante Abrahamum, proptereaq́ etiā dici Abrahami & Davidis semen, non Evæ aut Adami.* Et Schmalz. l. de Divin. Christ. c. 2. *Sanctos Patres, qui ante Abrahamum vixerunt, nihil de Meßiâ scivisse, illi autem primam promißionem Meßiæ factam* esse. Verùm 1. hæc verba nō ad maledictionē sed consolationem dicta esse, & de nullo quàm de Messia & serpente Diabolo exponi posse; suprà evictum est. 2. Si verba hæc *maledictionem* continerent contra eos, qui jam re ipsa maledicti in Diaboli faucibus hærebant, sequetur quod omninò desperassent in peccatis suis protoplasti. 3. Si hæc non est promissio, sequitur quòd ante Abrahamum nullum Patres habuerint solatium adversus peccata. 4. Quòd verò non Adæ sed *Abrahami semen* dicitur, fit quia promissiones tùm temporis editæ de Messia originem secundùm carnem evidentiùs & strictiùs ostendebant. 5. Quin & *genealogia* CHRISTI ad Adamum deducitur Luc. 3. 34. Quid? quòd 6. *etiam ex ipsa promißione* Abrahæ facta hîc de CHRISTO agi suprà demonstravimus: & 7. Dominum *per os omnium sanctorum, qui fuerunt à seculis, de Meßia locutum esse* affirmatur Luc. 1. v. 55. 70. Act. 3. 18. 21.

Aphorismus II.

CHRISTI Divinitas etiam fidelibus in V. T. fuit cognita. Contra Photin. & alios.

XL. Nullum quidem de hac re dubium esse potest apud illos, qui CHRISTI nomen profitentur; veruntamen ut omni tempore de

Divinitate CHRISTI fuerunt in Ecclesia DEI controversiæ, ita etiam nunc *de cognitione* ejusdem in V. fœdere quidam minus rectè sentiunt. Contra hos ergò notamus 1. *Nos non loqui de omnibus in V.T. viventibus*; siquidem nec de iis omnibus, qui in N.T. vivunt affirmari potest, ac si CHRISTUM divinâ & humanâ naturâ constantem cognoscant, sed tantùm de fidelibus, quibus Divinitas CHRISTI fuit omninò nota. 2. Nos non dicere, *quasi eadem sit claritas cognitionis in V. quàm in N.T.*, sed tamen inde eadem illis non planè fuit ignota. *Obscuritatem* (ut ait B. Lys. Trifol. p. 7.) *umbræ Col. 2. v. 17. Ebr. 10. 1. agnoscimus, & lucem nobis concessam gratâ mente celebramus, sed tamen invidi non sumus, nec omnem mysteriorum cognitionem Patribus denegamus. Qualis enim revelatio fuisset, & ad quid conduxisset, si nihil de mysteriis revelatis homines percepissent?* 3. Præsupponimus etiam, quòd quamvis quilibet Laicus Divinitatem CHRISTI in V. T. hoc vel illo loco proponi & revelari non statim animadverterit, tamen eandem per *legitimam interpretationem* de facto omnibus & singulis Israelitis fuisse demonstratam & creditam. h. D. Hulsem. Dialys. Apolog. problem. Calixt. p. 32. ait. *Textus V.T. qui ipsis (Israëlitis) prælegebatur, collatus ad textum Novi obscurior erat quoad evidentiam objectivam, ex Ipso sono & positu phraseos resultantem, sed defectum illius evidentiæ sarciebat continua surrogatio & præsentia interpretum θεοπνεύστω, & infallibilium, quales erant Prophetæ & summus Sacerdos ejus temporis, qui non solùm proponebant, sed etiam explicabant & interpretabantur V.T. textus, atq; ita supplebant quod obscurius dictum videbatur, unde & scrutati dicuntur 1. Pet. 1. 10. Quin hoc fuisse officium Prophetarum V.T. ut discipulis suis explanarent libros jam scriptos demonstratur ex 1. Sam. 10. 12. c. 19. v. 20. Gen. 18. vers. 19. & horum Prophetarum scholares filij eorum dicebantur* 1. *Reg.* 20. 35. 2. *Reg.* 2. 3. 5. 7. *& de Sacerdotibus quòd legem explicârint non est dubium Lev.* 10. *v.* 11. *Deut.* 33. *v.* 10. *Mal.* 2. 7. *Quemadmodum etiam id fecerunt Patres ante diluvium Gen.* 4. 26. *Inde Noe præco justitiæ nominatur* 2. *Pet.* 2. 7. *qui in conventibus sacris primam hanc promißionem Evangelicam explicarunt.*

XLI. His ita præmissis probamus Divinitatis CHRISTI cognitionem 1. *Ex clara ejusdem propositione.* Inde igitur ita concludimus:

cludimus: *Quicquid in V.T. satis clarè & perspicuè est propositum, id etiam fideles V.T. cognoverunt. Divinitas Christi in V.T. satis clarè & perspicuè est proposita.* E. *Major* certa est, quia aliàs revelatio destitueretur suo fine, qui est de DEO & voluntate ejus nos informare, Deut. 31.13. Rom. 15.4. 2. Tim. 3.16. *Minor* probatur ex Mose, Psalmis & Prophetis, ubi expressissima habetur testimonia. Adduci autem hîc possunt ea argumenta, quibus aliàs contra Ebionitas, Samosatenianos, Photinianos, Arrianos & alios probari solet CHRISTI Divinitas; scil. (1.) *Ex operibꝰ merè divinis*, quale est *Redemtio*, ubi prodeat vel *unicū nostrum dictū*, ceu *fundamentū totius scripturæ*, & evidenter ea patebit. Ecquis enim unquam est, qui caput infernalis Draconis conterere, potentiam ejus vincere, mortem superare, legis maledictiones auferre & DEUM placare potuit, nisi solus DEUS? Psalm. 110.1. Es. 25.8. c. 42.25. c. 49.24. c. 63.3. Os. 13.14. Zach. 3.2. Rom. 16.20. Marc. 2. v. 7. cùm nullus hominum id præstare valuerit Psal. 49.8. unde & CHRISTO Filio DEI attribuitur operum Diaboli desolatio 1. Joh. 3.8. & legis impletio Gal. 4.4. quod etiam Evam ita intellexisse suprà demonstravimus.

XLII. De hoc Lutherus Ann. 1546. conc. prim. super Evang. Dom. 4. Epiphan. Matth. 8. sic scribit: Also können wir beweisen daß unser Glaube nicht new ist / des Ankunfft wir nicht wissen / sondern der aller älteste Glaube ist / der da angefangen vnd gewäret von Anfang der Welt her. Deñ als Adam vnd Eva unsere erste Eltern im Paradies wieder zu Gnaden kamen / nach jhrem jämmerlichem Fall / fingen sie diesen Glauben an / an den Heyland den Sohn Gottes. Denn also lautet die Verheissung / so jhnen gegeben ward / des Weibes Same soll 2c. aus diesem ersten Evangelio ist unser Christlicher Glaube herkommen vnd geflossen. Et Paulò pôst: Dieser solte die Krafft vnd Macht haben / daß er der Schlangen (dem Teuffel / der daß gantze menschliche Geschlecht in Adam vnd Eva unter seine Gewalt in den Todt vnd ewige Verdamnis gebracht) künte vnd würde den Kopff / das ist / seine Gewalt zertreten / vnd also das menschliche Geschlecht von Sünden / Gottes Zorn vnd ewigem Todt erlösen: daß müste ja eine sonderliche Persohn seyn / vnd nicht allein mehr den ein lauter Mensch von Mann vnd Weib / sondern auch mehr denn ein Engel / weil der Teuffel / dem er den Kopff zertreten solt / der höchsten En-

gelischen Natur ist. Item: Darumb ist dieses unser gewisser Grund und Trost wieder alle des Teuffels und der Hellen Pforten/Toben und Wüten/daß wir wissen/daß unser Glaube an diesen HERRN den wir bekennen Warhafftigen Gott und Mensch/der rechte erste und älteste Glaube sey/ und allezeit in der Welt durch den Sohn GOttes erhalten/bleibt auch der letzte bis ans Ende der Welt. Hæc & similia Lutherus in concione illa paulò ante mortem habita. Quemadmodum etiam talia verba ex commentario ejus in Genes. superius adduximus.

XLIII. (2.) *Ex nomine soli Deo proprio*, ubi vocatur JEHOVA Jer.23.5. (3.) *Ex attributis mere divinis*, *tum essentialibus*, ut sunt æternitas Prov.8.22. Mich.5.2. Omnipotentia Es.9.6.c.40.10. &c. *tum personalibus*, dicitur enim genitus à Patre ab æterno Psalm. 2.7.Mich.5.2. (4.) *Cultu & gloriâ merè divinâ*. Ut adoratio Psalm. 2.11. &72. 11. &c. qui honor soli DEO proprius est Deut. 6.13. cap. 10.20. Matth.4.10. fiducia in eum Psalm.2.12. quæ etiam soli DEO competit Jer.17.5.7. vid.Gerh.Exeg.Loc.3.c.10.p.378 Disput.Isag. p.166.Chemnit.L.C.part.1.p.50. ex quibus omnibus patet divinitatem CHRISTI in V.T. satis clarè esse propositam.

XLIV. 2. *Ex cognitionis hujus necessitate. Quicquid sine jactura salutis non potest ignorari, illud etiam fideles V.T. omnino cognoverunt. Divinitas Christi sine jactura salutis non potest ignorari.* E. &c. Major certa est, siquidem alias fideles in V.T. non essent salvati, cùm veram fidem non habuerint. Minor probatur ex ipsius CHRISTI verbis Joh. 8.24. *si non credideritis me* (scil. qui se DEI Filium dixerat v. 19. à quo missus erat v.42. & qui erat ante Abrahamum v.58.59.) *esse, moriemini in peccatis. Omnis qui credit in eum*, (Filium DEI) *non pereat sed habeat vitam æternam; qui verò non credit, jam judicatus est, nec videbit vitam* Joh.3.v.17.18.36.37.& Joh.17.3. *Hæc est vita æterna &c.* 3. *Ex apparitionibus in Vet. Test. factis*, in quibus se ut verum DEUM demonstravit. Et primam quidem apparitionē habuimus ex hoc c.3. Geneseos; varias alias apparitiones in quibus tum à *nomine*, tum *ab attributis*, tum *ab operibus*, quibus ut verus DEUS describitur, vide Genes.18.10.12.13.14.17.19,25. conf. c.31.11,13. cum c.28.13.& 14.19. cum Deut.1.30. Johan.5.13.14. c.6.2. Jud.13.18.23.& Es.6.v.1. cum Joh.12.41. & quæ sunt ejusmodi aliæ,

quas

quas reperire licet in Exeg. B. Gerh. Loc. 3. c. 10. §. 148. quæq; in publicis prælectionibus Admod. Rever. Excellent. Dn. D. Calovii, Præceptoris & Promotoris mei æternùm observandi, ab omnibus Adversariorum exceptionibus vindicatæ sunt.

XLV. 4. *Ex ipsius Christi & Apostolorum demonstratione. Quæ mysteria Christus & Apostoli demonstrarunt inesse scriptis V. T. ea legitimis adhibitis mediis à fidelibus inde cognosci potuerunt & cognita sunt. Divinitatem Christi Christus & Apostoli demonstrarunt inesse scriptis V. T.* E. Major est certa, cùm Scriptura semper fuerit eadem & iisdem mediis cognita; & vacillaret alioquin legis claritas contra Ps. 119. 105. 2. Pet. 1. 19. Minor probatur ex Matth. 22. 44. Act. 8. 32. 33. ex Es. 53. 7. 8. Actor. 17. 2. c. 26. 22. 5. *Ex Ecclesiæ & Christi relatione.* Christus enim est *caput* Ecclesiæ, & hæc ipsius corpus Ephes. 1. 22. c. 5. 23. Ipse est *sponsus* & *maritus* ejus Es. 54. 5. Johan. 3. 29 est ovium suarum *pastor* Psalm. 23. 1. Es. 40. 11. Ez. 34. 11. Joh. 10. 12. 1. Pet. 5. 4. animarum fidelium *Episcopus* 1. Pet. 2. 25. Non E. credibile est membris ignotum fuisse suum caput, Sponsæ Sponsum ac maritum, ovibus pastorem &c. 6. *Ex fidei & objecti fidei unitate.* Si enim est *una fides* & unum objectum fidei, sequitur quòd illa etiam fuerit in Vet. Test. At verum prius Ephes. 4. 5. Actor. 4. 12. c. 10. 43. c. 15. 11. de quo postea plura.

Aphorismus III.

Unum & idem est Evangelium, quod habuerunt Patres omnesq; pii in V. T. quàm quod nos in N. Test. habemus, quò gratia DEI, remissio peccatorum & salus una atq; eadem propter CHRISTUM iis annunciata ac oblata fuit. Contra Photinianos & Anabaptistas.

XLVI. Negant illi *vitam æternam & bona spiritualia Sanctis in V. T. fuisse promissa, cùm Christus per Evangelium demum ea, quæ olim non audita fuerunt, revelârit narranda.* Volkel. Instit. c. 8. Socin. lib. quòd Evangelici debeant se cœtui &c. pag. 19. 20. 63. Schmalz. de Div. Christ. c. 7. 8. Ostorod. Instit. *credidisse quidem in V. T. Patres, sed non ita ut nos in N. T. sed fide generali in DEum Patrem.* Schmalz.

refut. Thes. D. Franz. p. 103. & contr. disp. sext. de bon. oper. f. 187. *justificatum esse aliquem*, ait, *in V. T. fide in mediatorem Christum* ANILIS EST FABULA. Catech. Racov. p. 308. Servetus: *Deum in V. Test. Patribus solas promissiones temporales dedisse tanquam porcis siliquas.* Quibus etiam Weigeliani assentiuntur, *nullum hominem ante mortem Christi pervenisse in cœlum excepto Johanne Baptistâ.* Weigel. part. 1. Postil. p. 23. & part. 3. p. 75. 76. 77. Errores quorundam Patrum & Pelagii (*homines ante Mosen solâ lege naturæ post Mosen lege Mosis, in N. T. lege Evangelicâ Salvatos esse*) & Scholasticorum vid. ap. Chemnit. L. C. Tom. 2. p. 221. 228.

XLVII. Contra hos antequam Thesin nostram probemus, notandum 1. quòd vox Evangelii sumatur (1.) *latè* pro doctrina de promissione gratiæ & remissionis peccatorum propter CHRISTUM gratis dandæ, prout hîc nos sumimus (2.) *strictè* pro publico de exhibito Messia testimonio. 2. Evangelicam promissionem subinde clariùs expositam & illustratam esse, donec ipsa lux N. T. oriretur Rom. 13. 12. Col. 2. 17. His præmissis probamus nostram assertionem 1. *Ex hoc nostro Protevangelio*, quô promitti benedictum mulieris semen, h. e. futurum Messiam, capitis serpentini conculcatorem Satanæq; victorem suprà satis est probatum. Accedunt etiam illustres promissiones & conciones Propheticæ aliæ, primùm vivâ voce traditæ, dein verò scriptis comprehensæ, quæ quasi postilla primæ promissionis fuerunt; siquidem *de cornu salutis locuti sunt à seculo Prophetæ Domini* Luc. 1. 70. utpote Gen. 12. 3. c. 18. 18. Deut. 18. 18. Es. 9. 6. c. 11. 1. c. 53. 5. Dan. 9. 24. &c. quibus omnibus recensendis jam supersedemus, vid. Gerhard. L. C. Tom. 3. de Evang. §. 9. Meisn. Theol. Phot. p. 753. Chemnit. l. cit. p. 229. Cùm igitur pii has promissiones DEI & earum explicationes habuerint, utiq; etiam illis crediderunt, & firmâ fide Serpenticidam hunc apprehenderunt, (cùm exinde unicum & solum lapsùs habuerint remedium, & si non recepissent fuissent impii) & ita per eam fidem salvati sunt, cum unica tantùm fides sit salvifica. His accedunt typi & sacrificia, quæ quòd CHRISTUM præfiguraverint *tum* ex *Scriptura*, *tum* ex *rationibus* & firmis *consequentiis* demonstrari potest. *vid. D. Franz. disput. ordinar. de sacrif. §. 121. seq. & Schol. sacrif. disput. 4. §. 5. seq.*

XLVII.

XLVIII. 2. *Ex ipsius Christi & Apostolorum explicatione*. Testari enim V.T. de Christo asserunt Joh.5.39. Luc.24.26. c.18.31. Act.3.24. c.8.32.Rom.1.2. 1.Cor.15.3.4. 1.Pet.1.10. c.2.24. &c. quin & expressis verbis asseritur, quòd in V.T. per meritum CHRISTI justificati sint & salvati Rom.3.21.22. Act.4. 12. c.10.43. c.15.11. *Nam Jesus Christus heri & hodie & ὁ ἀυτὸς idem etiam in secula*; ubi nota quòd *ὁ ἀυτὸς* opponatur *tùm* multitudini 1.Cor.12.4.5.6. *tùm* mutabilitati Ebr. 1.12. quòd ita CHRISTUS *ἀυτὸς idem* & sine eo vel extra eum antè alius Salvator non fuerit, nec ipse unquam alius fuerit quàm Salvator ab æterno in æternum. Sic Apoc.13.8. *agnus occisus ab origine mundi.* Utiq; E. etiam in V.T. Salvator extitit. Quid quòd meritum CHRISTI describatur ut *universale* medium contra lapsum Rom.5.18.19. Ebr.9.15. quod factum *pro omnibus perditis* Matth.18.11. *pro toto mundo* Joh.3.17. 1.Joh.4.14. *pro omnibus qui fuerunt sub lege* Galat. 4.4.

XLIX. 3. *Ex consequentiis*. 1. Aut per legem in V.T. Patres salvati sunt, aut per gratiam & meritum CHRISTI. At non per legem. E. *Major* est firma, ut patet *ex oppositione legis & gratiæ* Act.15.10.11. Rom.11.6. Eph.2.8.9. &c. *Minor* constat *tum ex dictis* Actor.13.38. Roman.3.20. Gal.3.11. tùm ex sanctorum *confessione*: Psalm.32.6. & 143.3. 1.Joh.1.8. &c. tum *ex renovationis in hac vita imperfectione* Rom.7.14. Gal.5.17. &c. 2. *Quia DEUS absolutâ & solâ voluntate* (quod vult Socin. l.1. de Serv. c.1. f.10.11.) *citra mediatoris satisfactionem ullam non potuit remittere vel remisit peccata*, postquam decretum comminatorium protulerat Gen. 2.17. quod patet (1.) *Ex Dei descriptione*. Contrariaretur enim id ejꝰ sanctitati Lev.19.2. justitiæ Psalm.7.12. Veritati Num.23.19. Ebr.6.18. quin Diabolus inde sumsisset ansam calumniandi, quòd tam severus erga se & facilis erga homines fuerit. (2.) *Ex mediatoris exaggeratione*, quia non nudus homo DEI iræ satisfacere, nos redimere & DEO placare potuit, sed *ipse DEI filius*, Es.53.4. 11.12. Os.13.14. Luc.1.79. Actor. 20.28. Roman.5.10. 1.Pet.1.19. 1.Joh.2.2. *vid. D. Franz. Schol. sacrif. Disput.*14. §.61. *seq.*

L. 4. *Ex exemplis*, tum *credentium*, ut Eva Gen.4.1. Noë Gen. 5.29. Abrahami Gen.15.6. Joh.8.56. Rom.4.9. conf. Ebr.11. & 12.v.2. tum *confitentium*: Non enim dubium est quin Adam summus Sa-

cerdos

cerdos offerens filiorum sacrificia Gen. 4. 3. de eorum causa, fine, origine, significatione, & de Messia disseruerit Gen. 4. 26. D. Frantz. d. l. Abraham procul dubio de promisso semine inter sacrificandum prædicavit Gen. 12. 8. c. 13. 18. forsan etiam visiones in Prophetico Spiritu (cùm Dominus sæpè ei apparuerit) de incarnatione & passione CHRISTI habuit. David certus de Messia 2. Sam. 23. 1. totos Psalmos ordinavit de CHRISTO Psalm. 22. & 110. Sic Esaias c. 53. Daniel c. 9. & omnes Prophetæ de eo testati Act. 3. 23. Utiq; igitur idem salvandi modus fuit in V. Test. qui hodiè est in N. T. 6. *Ex testimonio* tum *Rabbinorum* (quibus jam supersedemus) tum *Patrum*; utpote Irenæi l. 4. c. 38. *una & eadem est Abrahæ & nostra fides* &c. August. ap. Lomb. l. 3. dist. 25. c. 1. *eadem fides Mediatoris, quæ nos salvat, salvos & justos etiam faciebat antiquos, pusillos & magnos &c.*

Aphorismus IV.

Si Adam non peccasset, Messias in mundum non venisset. Contra quosdam Veteres, nonnullos Scholasticos & Photinianos.

L. I. Schmalz. contr. Franz. disp. 4. de Justif. f. 124. Socin. l. de stat. prim. hom. adversus Francisc. Puccium id affirmant. Probamus autem contrarium 1. *Ex promissionis hujus Gen. 3. tempore.* Facta enim ea est non ante, sed post lapsum. 2. *Ex incarnationis fine*, qui est, ut ex Proteyangelio apparet, redemtio Matth. 20. 28. Luc. 1. 71. 74. restitutio illius quod perierat Matth. 18. 11. destructio regni Diaboli 1. Joh. 3. 8. Ebr. 2. 14. 15. satisfactio pro peccatis Joh. 1. 29. 2. Cor. 5. 21. 1. Tim. 1. 15. reconciliatio. Rom. 5. 10. 1. Joh. 2. 2. liberatio à lege Gal. 4. 4. salvatio Joh. 3. 17. quia E. in statu innocentiæ non fuisset peccatum, neque opus fuisset Redemtore Matth. 9. 12. 3. *Ex hypotheseos falsitate.* Falsum enim (1.) *hominem creatum fuisse mortalem* ex Genes. 2. 17. Rom. 5. 12. c. 6. 23. Ezech. 18. 25. quia *conditus fuit* ad imaginem DEI immortalis. Gen. 1. 27. (2.) Falsum quòd *non omnem perfectionem simul dederit Deus sive* intellectum, *sive* voluntatem, *sive* cor, *sive* ipsum corpus spectemus. (3.) Falsum quòd *prædestinata sit Messiæ missio etiamsi homo non peccasset*, Ephes. 1. 4. quia præde-

prædestinatio hæc præsupponit πρόγνωσιν lapsus. 4. *Ex Scripturæ silentio*, quæ de hac missione ne γρῦ quidem habet. 5. *Ex Patrum explicatione*. Ponimus unum August. serm. 9. de Verb. Dom. *Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi ut peccatores salvos faceret: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* vid. Gerh. Exeg. L. 4. §. 142. D. Franz. Schol. sacrif. l. c. disp. ordinar. de sacrif. §. 37. D. Himmel. Syntag. disp. 12.

Aphorismus V.

Quamvis ad opus Redemtionis tota S S. Trinitas concurrerit, non tamen tota S. Trinitas, sed solus Christus seu secunda persona est incarnata & passa. Contra Praxeam, Sabellium, Samosatenum, Noëtianos, Patrispassianos.

LII. Prius probatur, quia *in operibus ad extra omnes tres personæ agunt* Joh. 5. 19. Sic *Pater* misit Filium in mortem & passionem, Gal. 4. 4. Rom. 8. 32. ipse eum afflixit Es. 53. 4. 10. *Filius* ipse caro factus est Joh 1. 14. Ebr. 2. 14. 16. & ipse se tradidit in mortem Es. 53. 10. Matth. 20. 28. Gal. 1. 4. c. 2. 20. Tit. 2. 14. Ebr. 9. 14. & quemadmodum *Spiritus Sanctus* supervenit Mariæ Luc. 1. 35. unxit Christum Luc. 4. 18. Johan. 3. 34. ita etiam per eum Christus se Patri obtulit Ebr. 9. 14. Posterius tamen negatur. Sicut enim 1. falsa est hypothesis, *quasi una tantùm sit in Divinitate persona, quæ pro diverso manifestationis modo aliter nominetur*, quia id dictis adductis contrariatur; cùm alia persona sit mittens alia missa, alia tradens, alia tradita: ita etiam falsum est quod ex hoc concludunt Patrem esse incarnatum, passum &c. Nam quæ persona carnem assumsit ea etiã passa est. At filius carnem assumsit, Gal. 4. 4. Ebr. 2. 14. E. Distinguendum igitur 3. inter opus Redemtionis, quatenus sumitur *inchoativè seu efficienter, ratione principij & effectionis*, sicut toti Trinitati commune est; & *terminativè seu formaliter, ratione formalis relationis & terminationis*, sicut soli secundæ Trinitatis personæ competit: seu 4. inter *opera ad extra*, quæ essentialia; *ad intra*, quæ personalia; & *mixta*, quæ ratione ad extra essẽtialia seu communia, ratione ad intra personalia seu uni personæ propria. Cur autem

persona Filii & non Patris incarnata & passa sit, vid. Syntag. D. Himmel. disp. 12. §. 14. D. Gerh. Exeg. L. 4. c. 7. D. Chemnit. de duab. nat. c. 2. p. 8.

Aphorismus VI.

CHRISTUS *secundùm utramq; naturam Redemtor & Mediator noster est. Contra Stancarum, Pontificios, Osiandrum & Calvinianos.*

LIII. CHRISTUM *verum Deum esse*, non opus est ut Contra Ebionitas, Cerinthianos, Samosatenianos, Photinianos &c. probemus, cùm suprà sufficienter id sit factum. Ex abundanti tamen ex hoc dicto probatur. 1. Quia hoc *semen mulieris* h. e. CHRISTUS secundùm carnem ex patribus natus, est DEUS benedictus in secula Rom. 1. 3. c. 9. 5. 2. Quia qui natus est ex muliere & traditus sub legem, est DEI filius, Gal. 4. 4. 3. Quia Redemtio & capitis i. e. operum Diaboli destructio DEO & DEI filio adscribitur, Act. 20. 28. 1. Joh. 3. 8. Quòd verò fuerit *verus homo* itidem contra Valentinianos, Marcionitas, Manetem, Apollinarem & alios, quos recenset D. Mart. partit. Theol. Disp. 13. Chemnit. de duab. nat. c. 3. p. 10. ex hoc textu probamus: 1. *Ex nomine*, quia vocatur *semen* & quidem *mulieris*, quorum neutrum de DEO dici potest. 2. *Ex Redemtionis opere*. Si non assumsit CHRISTUS veram humanam naturam, homines non sunt redemti. τὸ μὴ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. Jam verò nos esse redemtos & hic textus & alia dicta Matth. 20. 28. Luc. 1. 74. Gal. 4. 4. &c. testantur Chemnit. l. c. p. 15. 3. *Ex contritione calcanei seu inflicta morte*. Si enim non fuisset homo, non potuisset mori: DEUS enim est ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος. Alia argumenta *ex essentialibus partibus hominis & earum propriis affectionibus, aliisq; operationibus humanis* brevitatis gratiâ prætereo. Apparet autem ex his *Christum non fuisse corruptæ massæ Adamiticæ particulam, eò quod dicatur semen mulieris*, contra Drentanos, de quo vid. complem. Brev. Hulsem. c. 7. § 4.

LIV. Nec in id jam incumbemus, ut demonstremus quomodo duæ illæ naturæ arctissimè, 1. ἀχωρίστως contra Nestorium, 2. ἀσυγχύτως contra Eutychen, 3. ἀτρέπτως contra Timotheanos, 4. ἀδιαιρέτως contra Samosatenum, 5. salvis utriusq; naturæ proprieta-

prieta-

prietatibus, sint unitæ; idque nec essentialiter, nec accidentaliter, sed supernaturaliter & personaliter, ita ut secunda persona S S. Trinitatis naturam humanam sibi *univerit*: nec quomodo ex hac unione sit admirabilis arcana & ineffabilis naturarum communicatio, unde fluit *communicatio idiomatum*; Quæ omnia D. Mart. d. l. accuratè persequitur. Quæ unio omninò præsupponitur, cùm unum opus redemtionis in hoc dicto nostro de duabus naturis efferatur. vid. ante omnia Chemnit. de duab. nat. c. 4. p. 20.

LV. Nec diu inhærebimus explicandis *generibus* communicationis idiomatum; ubi (1.) vel utriusque naturæ propria prædicantur de CHRISTI persona, sive à natura divina, sive ab humana, sive ab utraq; denominatâ; cujus fundamentum est personæ unitas, *in primo*: (2.) vel divina natura Filii propriam suam gloriam & excellentiam humanæ naturæ communicat, manens ipsa passionum carnis expers; idq; quia natura assumta in unione particeps facta est hypostaseos τοῦ λόγου, ergô & idiomatum, *in secundo*: Quam divinam gloriam & majestatem humana natura à primô statim unionis exordiô habuit actu primo, licet non usa sit actu secundo; unde emergit *duplex status* exinanitionis & exaltationis. Vel (3.) ubi in operibus officii utraq; natura agit quod sibi proprium est cum communicatione alterius, *in tertio genere communicationis*; quia ideò filius DEI assumsit humanam naturam, ut in ea & per eam opus Redemtionis & partes officii mediatorii perageret. Ubi quidem hoc dictum commodè refertur *ad primum genus*, quia de CHRISTO â natura humana denominato prædicatur & proprium divinæ naturæ (*conterere caput*) & humanæ naturæ (*conteri calcaneo*:) commodè etiam *ad secundum*, quia *semini mulieris* i. e. humanæ naturæ communicata est potentia vincendi Satanam. vid. Gerh. Exeg. Loc. 4. §. 231. Disp. 9. Isag. §. 70. Optimè tamen *ad tertium genus*, quatenus scilicet non propositiones seu attributiones propriorum, sed officium seu beneficium CHRISTI (inter quæ accuratè vult distingui B. Chemnit. de duab. nat. cap. 17. p. 85. 90.) spectatur, propter quæ unio duarum naturarum in Christo facta est. Hîc igitur humana natura agit quod suum est, scilicet sustinet læsionem calcanei i. e. cruciatus & mortem, nec tamen abest divina natura, sed vim communicat, ut eô ipsô Dia-

boli conteratur caput, sicq; unum inde ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν proveniat, scilicet generis humani Redemtio. De his omnibus prolixè agere nostri non est instituti, cùm alias tempore Nativitatis ea considerentur; nunc potiùs ad passionem, tempori nos accommodantes, respicimus.

LVI. Sic igitur *Christus Redemtor & Mediator noster est secundùm utramq; naturam*. *Stancarus* & *Pontificii* tantùm humanam naturam, *Osiander* tantùm divinam, *Calviniani* ἀλλοίωσιν amplectuntur, ut cùm DEUS & Dominus gloriæ crucifixus dicitur, solus homo DEO tamen unitus intelligatur. Verùm *Christum Mediatorem nostrū esse secundùm divinam naturam* probamus 1. *Expreßis scripturæ dictis*. Ubi in prima fronte ponitur hoc πρωτευαγγέλιον, ex quo & humanitatem & Divinitatem Christi probavimus. Sic in aliis locis expresse nominatur *Deus & Filius Dei* Es. 35.4. Jer. 23.6. c. 33.16. Act. 3.15. c. 20.28. Rom. 5.10. c. 8, 3.32. 1. Cor. 2.8. Gal. 4.4. 1. Joh. 1.7. c. 3.8. Ebr. 1.3. c. 4.14. 2. *Ex personæ Christi unitate*, cui omnia, quæcunq; prædicantur, attribuuntur; si enim divinæ naturæ tantùm divina, & humanæ humana tribuerentur, duę fierent personæ, cùm actiones & passiones sint suppositorum, vel naturæ divellerentur; at in media passione etiam se filium DEI esse CHRISTUS professus est Matth. 26.63. c. 27.46.54. Marc. 14.62. &c. 3. *Ex necessario requisito*. Requiritur enim omnino divina natura in opere redemtionis *tùm* ad iræ DEI portationem, *tùm* ob malorum peccatum consequentium remotionem, *tùm* ob justitiæ divinæ satisfactionem, *tùm* ob bonorum reparationem, quæ omnia sunt infinita, nec ulli homini posibilia. vid. Nahum: 1.6.10. Psalm. 49.8. Esai. 49.24. Luc. 11.21. Ideoq; aliud λύτρον requisitum est, quod reatui fuit analogon, & aliis qui ea omnia præstaret Es. 43.15. 2. Cor. 5. Ebr. 9.15.21. 4. *Ex appropriationis & prædicationis veritate*; quàm verè & realiter enim sibi appropriavit carnis proprietates, & quàm verè DEUS dicitur homo, tam verè etiam DEUS est passus; ideò enim etiam sanguis, qui tantùm soli homini competit, DEI proprius dicitur Act. 8.28. similiter, sicut verè & absq; tropo dico (nam verba manent in propria significatione) *DEus est manifestatus in carne* 1. Tim. 3.17. *natus secundùm carnem* Rom. 1.3. *visus, palpatus, contrectatus carne* Joh. 1.14. 1. Joh. 1.1.

1.Joh.1.1. ita utiq; verè dico quòd *mortificatus sit carne* 1.Pet.3.18. idq; ut suprà dictum, propter personæ unitatem. 5. *Ex absurdis*. Si sola humanitas est passa, sequitur quòd sola humanitas sit persona, nec necessariam fuisse unionem personalem, meritum CHRISTI non esse infiniti pretii contra 1.Pet.1.19. nos esse adhuc sub peccato, morte, Diaboli potestate, redemtionem esse opus mere humanum & ab aliis etiam potuisse præstari, In Vet. Test. Ecclesiam non habuisse mediatorem; quæ omnia Scripturæ S. contraria suprà sunt demonstrata. conf. D.Gerh. Exeg. Loc.3. §.49.

LVII. *Quòd* verò *etiam Redemtor noster sit secundùm humanam naturam*, non opus est demonstratione. Probamus tamen 1. *Ex Scriptura*. Dicitur enim in hoc dicto *Semen mulieris*. vid. Luc.9.56. Rom.5.15. 1.Tim.2.4. Ebr.2.14. 2. *Ex divina justitia*, quæ requirit ut quia homo peccaverat etiã homo satisfaceret, Ex:32.33. Ez.15.20. 3. *Ex naturæ humanæ restitutione*; homo enim peccaverat, E. per hominem etiam reconciliandum erat humanum genus. Rom.5.12.15.18. 4. *Ex oculari demonstratione*: qui enim passus, crucifixus &c. est, filius hominis dicitur, Luc.18.31.32.33. 5. *Ex absurdo*. Si enim non esset Mediator noster secundùm humanam naturam, neq; DEUS eam assumsisset, nec humanum genus placatum fuisset, nec homines passionem CHRISTI sibi possent applicare Ebr.2.17. c.4.15. c.5.2. c.10.19. Plura de his vid. *D. Gerh. Exeg. Loc*. 3. §. 49. *Loc*. 4. §. 195. *D.Chemnit. de duab. nat. cap*.2. & 3. *it. cap*.17. *p*.88.90. *B.Luther. Confess. maj. Tom*.2. *Witteb. fol*. 188. *D. Meisner*. χριστολ. *p*.197. *seq. D.Hutter. L.C. p*.158. *Syntag. D.Himmel. disp*. 13. *D. Brochman. System. Tom*. 1 *p*. 861. *D. Martin. Partit. Theol. disp*. 15. §. 176. *ejusdem Colleg*.1. *Supr. Aug. Confes. disp*.13.

Aphorismus. VII.

Nec tamen inde Divinitas est passa. Contra Theopaschitas, Eutychen, Monotheletas.

LIIX. Diximus Aphorism. præced. etiam secundùm divinam naturam CHRISTUM nostrum esse mediatorem & DEUM etiam pas-

sum es-

sum esse in carne. De quo optimè D. Chemnit. l. cit. c. 17. p. 88. *pati humanæ naturæ proprium est, sed tamen propter arctissimam hypostaticam unionem patiente humanitate divina Christi natura non fuit otiosa, sed adfuit personali unione naturæ patienti 1. volens eam pati, 2. permittens eam mori. 3. corroborans & sustentans eam ut posset omnia illud sustinere & victrix evadere, utq; 4. passiones illæ fiant salutares.* Clariùs adhuc ea habet p. 85. quas causas latiùs deducit D. Gerh. in Exeg. Loc. 4. §. 197. Sed tamen *non id simpliciter de Deitate in abstracto accipiendum est*, quòd etiam nobis affingere conatur Bellarm. l. 3. de Christ. c. 9. quasi illud asseramus, *Divinitatem factam esse passibilem.* Ea enim 1. *est immutabilis* Psalm. 102. 28. Jac. 1. 17. adeoq; nullis passionibus aut mutationibus est obnoxia. 2. Phrasin hanc: *Deitas est passa*, nunquam in sacra scriptura invenimus, E. ab ea tutiùs abstinemus. 3. Si Deitas esset passa, tota SS. Trinitas passa dicenda esset, quod absurdum. 4. Proin distinguendum est inter *totam Christi personam* seu ὑπόστασιν λόγου carni unitam, de qua ceu concreto passio dici potest, & *abstractam* naturæ alicujus considerationem, ubi naturæ divellerentur; actiones autem & passiones sunt totius suppositi. 5. Disting. inter naturam *dantem & accipientem.* Passus est filius Dei carne, non quòd caro communicet passionem istam suam τῷ λόγῳ, quandoquidem humanitas non dat, sed accipit: *assumentis enim & non assumti est communicare.* Et sic 6. aliud est dicere: Deus in carne est passus, (quod ad primum communicationis genus pertinet) & aliud: Deitas Christi in carne est passa (quod ad nullum referri potest.) Ubi 7. etiam notandum quòd *particulæ: secundùm, in, quà, respectu, in primo genere sint* διακριτικαὶ *distinctivæ, monstrantes cui naturæ proprietas illa conveniat; in secundo verò* διοριστικαὶ καὶ δεικτικαὶ *determinantes objectum, cui communicatio facta.* In primo genere subjectum est tota persona ab alterutra vel utraq; natura denominata, in secundo verò sola natura humana. *vid. D. Hutter. L. C. p. 58. D. Menz. Exeg. Aug. Confess. p. 64. 65. D. Gerh. Exeg. Loc. 4. §. 198.*

Christus in passione suâ verè sensit iram DEI *& pœnas infernales: Verè itidem mortuus est. Contra Bellarm. Origen. Hilar. Theophyl. Manichæos, Gnosticos, Theopaschitas, Authartodokitas.*

LIX. Probatur utrumque 1. *Ex promissionis hujus scopo:* Ad quod debuit mitti semen mulieris, illud etiam verè sensit; atqui ad iram DEI, pœnas infernales mortemque æternam amovendam debuit mitti E. 2. *Ex pugnæ hujus acerbitate.* Nam & semen mulieris & serpentis invicem omnimodum interitum alterius quæsiverunt, & læsio calcanei nihil aliud vult, quàm Messiæ mortem & omnia ad hanc media. 3. *Ex consequentiis.* Qualis nostra redemtio & satisfactio talis etiam passio, mors & pœnarum persensio. At redemtio & satisfactio est vera (non imaginaria aut phantastica.) E. 4. Accedunt *alia scripturæ dicta* utrumq; testantia, Ps. 16. v. 10. & 18. vers. 6. & 69. vers. 15. Roman. 8. 32. conf. Deut. 21. vers. 23. cum Galat. 3. vers. 13. Roman. 5. 10. 1. Corinth. 15. 3. 2. Corinth. 5. 14. 15. 1. Pet. 3. 18. 5. *Ex ipso eventu.* Siquidem conquestus est de animæ perturbatione Johan. 12. 27. ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν· περίλυπος *fuit* Marc. 14. 33. 34. *cæpit* λυπεῖσθαι Matth. 26. 37. ἐγένετο ἐν ἀγωνίᾳ Luc. 22. vers. 44. Imò tanta fuit angustia ut etiam θρόμβοι αἵματος *ceciderint in terram* Luc. 22. 25. Sic & tandem *emisisse & tradidisse Spiritum & exspirasse* dicitur Matth. 27. 50. Marc. 15. 36. Luc. 23. 46. Johan. 19. 30. Sicut id prædixerat non tantùm in Nov. Testam. Luc. 18. 33. Johan. 10. 15. Sed etiam in Vet. Testam. Esai. 53. 8. 12. Dan. 9. 26. Quid quòd omnis peccati pœna in eum fuit conjecta Esai. 53. 5. *vid. D. Gerh. L. C. Tom: 3. de justif. §. 54. cum primis Chemnit. L. C. part. 1. pag. 73. de duab. nat. cap. 3. p. 10. 15. seq.*

Aphorismus IX.

CHRISTUS unus pro multis potuit mori, adeoq; passio & mors ejus pro universis hominibus, tum fidelibus tum infidelibus, facta est, & per consequens decretum de salvandis hominibus non est absolutum. Contra Socinum & Calvinianos.

LX. Probamus PRIUS contra Socinum 1. *A seminis hujus singularitate;* est enim persona singularis & satis valida satisq; digna, non nudus homo sed θεάνθρωπος; non nudum semen, sed etiam habens potentiam conterendi caput Satanæ. 2. *A Scripturæ affirmatione* 2. Corinth. 5. 14. &c. 3. *A typis & similibus.* Si unus serpens pro sanandis ictibus multorum potuit suspendi, Num. 21. 9. unus hircus portavit peccata omnium, Lev. 16. 22. quidni & unus CHRISTUS potuerit pro multis mori? POSTERIUS contra Calvinianos probatur 1. *Ex nostro textu.* Quibuscunq; CHRISTUS promissus est, pro illis etiam est mortuus: (ideo enim missus est, ut redimeret nos; Matth. 20. 28. Galat. 4. 4.) At omnibus hominibus in Adamo promissus est, (sicut enim omnes in Adamo peccaverant, sic etiam promissio omnes attinebat, Roman. 5. 12.) E. 2. *Ex Scripturæ affirmatione:* quæ utitur (1.) *termino universali* Esai. 53. 6. Roman. 5. 8. 2. Corinth. 5. 14. 1. Timoth. 2. 6. *quotquot* scilicet in Adamo *perierunt* Matth. 18. 11. Roman. 5. 18. (2.) utitur *nomine collectivô* mundi Johan. 1. 29. c 3. 16. c. 4. 42. &c. etiam (3.) fit mentiô *impiorum* Esai. 53. 6. Roman. 5. 6. 1. Joh. 2. 2. etiam (4.) *eorum qui pereunt,* Roman. 14. 15. 1. Corinth. 8. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Ebr. 10. 29. (5.) Quid? quôd ideo damnantur impii, quia non credunt Johan. 3. 18. At quî credant nisi CHRISTUS satisfecerit pro illis? (6.) Nisi satisfecit aut mortuus est pro omnibus, quomodo gratia exuberaret? Roman. 5. 20. 3. *Ex Adversariorum aliquorum confeßione,* qui citantur â D. Forster. disput. 3. in cap. 53. Es. & Gerhard. Tom. 2. de elect. c. 6.

Aphorism.

Aphorismus X.

Christus satisfecit pro omni peccato, tum actuali, tum originali, & pro culpa & pœna, & proin satisfactione hominum non opus est. Contra Pontificios.

LXI. Negant illi pro *peccatis actualibus* satisfecisse Christum, sed nobis ipsis esse satisfaciendum. Refutantur verò 1. *Ex hoc Textu.* (1) Contra quod peccatum Christus promittitur, pro eô etiam satisfecit; At contra transgressionem Adami seu peccatum actuale Christus promittitur, E. (2.) Quicquid per caput Diaboli intelligitur, illud etiam Christus contrivit; At per caput Diaboli intelliguntur omnia peccata, (& per consequens pœna peccati) ut supra probatum est, E. 2. *Ex aliis scripturæ locis*, ubi tum *in genere* ab omnibus peccatis nos redemisse dicitur Es. 53. vers. 5. ἀπὸ πάσης ἀνομίας 1. Pet. 2. 24. Tit. 2. 14. ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας 1. Joh. 1. v. 7. tum etiam *in specie* de peccatis *actualibus* Rom. 3. 24. 25. 1. Corinth. 16. 10. 11. 1. Johan. 2. 1. Hebr. 9. 14. Satisfecisse verò etiam *pro pœna*, constat ex Es. 53. vers. 5. Psalm. 69. 6. Galat. 3. 13. *vid. D. Gerhard. L. C. Tom. 3. de Justif.* §. 119. *D. Forster. d. l.* §. 14. *Dn. D. Weller. explic. c. 53. Es. p. 86. seq.*

Aphorismus XI.

Satisfecit itidem non tantùm obedientiâ passivâ, sed etiam activâ. Contra Piscatorem.

LXII. Probatur 1. *Ex Protevangelio.* Si debuit Christus caput Diaboli conterere, utiq; etiam debuit non tantùm mori, sed etiam legem implere, (legis enim maledictio & lex ad caput Diaboli pertinent) At verum prius E. 2. *Ex legis requisitis.* Lex enim quatuor requirit (1.) perfectè sanctam operationem externam. (2.) sanctos & immaculatos animi motus. (3.) ingenitam & nativam integritatem. (4.) pœnam propter antegressam inobedientiam. 3. *Ex scripturæ dictis* Matth. 5. 17. Rom. 5. 18. 19. Gal. 4. 4. & aliis. *vid. D. Menzer. disput. de Justif. Ann.* 1614. *Giessæ hab. D. Gerh. Tom. 3. de Justif.* §. 60. *D. Himmel. Syntag. disp.* 13.

Aphorismus XII.

CHRISTUS solus caput Diaboli contrivit & legi satisfecit, nec aliis Mediatoribus opus est. Contra Pontificios.

LXIII. Quomodo Pontificii Mariam & alios Sanctos CHRISTO in passione adjungant, illosq; ut Mediatores & Intercessores invocent, cuivis constat. At illud injustè fieri, probatur; quia solum semen mulieris & non sancti contrivit caput Diaboli. Unde & ad se solum provocat Messias Es. 63. 3, 5. quin & sanctis id fuisset impossibile, qui habuerunt peccatum Psalm. 49. 8. 1. Joh. 1. 8. & solius CHRISTI sanguis nos emundat 1. Joh. 1. v. 7. *vid. Syntag. D. Himmel. disp. 24. §. 33. D. Gerhard. L. C. Tom. 8. §. 389.*

Aphorismus XIII.

Mors CHRISTI verè fuit satisfactoria. Contra Photinianos.

LXIV. Probamus id 1. *Ex hoc textu:* Quicunq; debuit Satanæ caput conterere & solatium præbere protoplastis contra iram DEI, ille verè etiam satisfecit. At semen mulieris &c. E. 2. *Ex aliis locis.* Roman. 3. 24. 25. c. 5. 10. 2. Corinth. 5, 21. 1. Timoth. 2. 5. 1. Joh. 2. 2. 3. Quòd DEUS *absolutâ suâ misericordiâ* non potuerit peccata remittere (quod ipsi volunt) suprà demonstratum est. *Plura de hac re qui desiderat adeat D. Gerh. L. C. Tom. 3. de Justif. §. 35. seq. D. Menz. disp. de Justif. §. 66. Dn. D. Weller. explic. c. 53. Es. p. 69.*

Aphorismus XIV. & Ultimus.

Verè CHRISTUS resurrexit, & quidem propriâ virtute, etiam quoad humanam naturam. Contra Judæos, Photinum, Bezam, Polanum & alios.

LXV. Nisi enim resurrexisset, non posset dici *contrivisse caput serpentis*, sed potiùs Diabolus ipsius fuisset victor, id quod etiam ex Evangelica historia & apparitionib9 satis constat. *Propriâ verò virtute*

virtute resurrexisse CHRISTUM i.e. totam personam, per se clarum est; cum nullius alienæ causæ hîc fiat mentio, & actiones officii cõveniant toti personæ, quæ h.l. ab humana natura denominatur: unde & propter unionem hypostaticam & communicationem idiomatum rectè *humanæ Naturæ* tanquam causæ efficienti Resurrectio adscribitur, quamvis quoad subjectum tantùm humanæ naturæ quæ ceciderat, resurrectio conveniat Psalm. 110. 7. Joh. 2. vers. 19. c. 10. 18. c. 11. 25. ἑαυτὸν παρέστησε ζῶντα Actor. 1. 3. c. 2. 24. *conf. D. Brochm. System. Tom. 1. p. 926. D. Meisn.* χριστολ. *p.* 531.

MEMBRUM IV.

Adornans usûs practici delineationem.

I. INFORMATORIAM.

LXVI. DISCE igitur ex hactenus dictis, ô homo, *DEI justitiam*, quæ non potuit mitigari nisi Filij interpositô meritô: Disce ejus *misericordiam*, qui non Diabolos in gratiam recepit sed homines, & propter eorum salutem misit filium, nec morte ei pepercit: *Sapientiam*, qui tale medium invenit, quod nullus hominum invenire potuisset, temperamentum scilicet justitiæ & misericordiæ, ut neutri quicquam sit detractum: *Veritatem* qui promissis his etiam effectum dedit. Disce DIABOLI *defectionem* ex Protoplastorum seductione; *regnum*, ex capite; *odium* erga CHRISTUM & Ecclesiam ex posita inimicitiâ; *calliditatem* ex calcanei aggressione; impotentis *debellationem* ex fide in CHRISTUM. Disce CHRISTI *personam*, quòd sit θεάνθρωπος: *officium*, quòd è potestate Satanæ te redemerit & satisfecerit iræ DEI: *passionem & mortem* gravissimam, quam propter peccatum subiit: *resurrectionem*, ubi triumphum ab hostibus retulit; *beneficia*, quòd ab ira DEI, Diabolo, morte, peccato per *suum meritum* & *sanctam vitam* te redemerit. Disce *fidei* salvificæ unitatem; *peccati* gravitatem; salvandorum propter neglecta media paucitatem; hominis post lapsum *miseriam* propter Diaboli malignitatem & se ipsum juvandi imbecillitatem.

LXVII. AGNOSCE, homo, hanc *Dei* erga te misericordiam, mirare sapientiam, time justitiam; sicut verax fuit in promissione, sic etiam verax erit in peccati punitione, justus in mali compensatione. Fuge *Diabolum*, fuge securitatem, quia quos decepit hostis ille in statu innocentiæ, faciliùs decipiet in statu miseriæ. Quare *resiste* ei & inimicitiam adversùs eum opere demonstra. Si Diabolum odio prosequeris, non consenties in ipsius suggestiones, nec per peccatum regno ipsius te subjicies. Arma te πανοπλίᾳ DEI, nec quicquam adversus te valebunt insultus Diaboli. Meditare *Christi personam*, & *gratias age* pro tam immenso amore, quô motus è cœlo in miseriarum vallem descendit & tui causâ humanam carnem assumsit & ad divinam gloriam evexit: *Meditare* causam & contremisce, meditare finem & gaude. Aspice CHRISTI *patientis* amorem, aspice dolorem, aspice laborem. Aspice, sanguinis guttas in horto, rivos in palatio, fluvium in crucis patibulo. Aspice capite spinis coronatum, manibus & pedibus perforatum, latere lanceâ terebratum. Peccatum est quod tot vulnera CHRISTO inflixit, tot dolores creavit. Clamat CHRISTUS; vide homo, quæ pro te patior, ad te clamo quia pro te morior, vide pœnas, quibus afficior, vide clavos quibus confodior: non est dolor sicut quô crucior, cùm sit tantus dolor exterior, interior planctus est gravior, cùm te tam ingratum experior. *Esto igitur gratus* pro tanto amore, dolore, labore: gratus *corde*, tanta beneficia agnoscendo & tibi vera fide applicando, gratus *ore* tanta beneficia celebrando, gratus *opere* peccata fugiendo & justitiam vitæ sectando. Gratitudine hac si destituaris, nihil passio Dominica tibi proderit. Agnosce à quo CHRISTUS te redemerit, & in hac fide simplicissima & antiquissima usque ad mortem permane, eâq; omnia Satanæ tela excute. Cum CHRISTO spiritualiter surge ut dignus fias aliquando surgere gloriosè.

3. Consolatoriam.

Thes. Ultima. CONFIDE, homo, ne despera; quamvis sis viribus impar ad Satanam vincendum, fortior è cœlo descendit, qui pro te pugnat: ne despera propter lapsum & peccatorum multitudinem de salute tua, vide Dei misericordiam, qui etiam proprium Filium pro te dedit, qui ex regno Diaboli suâ passione & morte te eripuit, & in pristinam libertatem asseruit. Verus ille est homo, quare cùm & tu homo sis, *tui causâ omnia fecit*, omnia quæ ejus sunt etiam sunt tua & ab omnibus peccatis te liberavit. *Satisfecit* is pro peccatis, nec divina Justitia quicquam à te ampliùs exiget; lex est impleta, mors victa, gehenna superata, maledictio sublata, ira Dei sedata, Diabolus prostratus, gratia, justitia, salus recuperata. Hæc est consolatio, quæ afflictis conscientiis est gratissima, siquidem nulla species peccatorum tanta est, quà non superior gratia & meritum Salvatoris Christi. Hoc igitur freti dicimus contra Diabolum & infernum: Si Deus pro nobis quis contra nos, qui proprio Filio non pepercit sed &c. Roman. 8. 31. 32. 33. 34. 35. Verâ fide hanc Christi victoriam apprehendentes meritò canimus cum Paulo: 1. Corinth. 15. 55. 57. Ubi tuus mors, aculeus, ubi tua, inferne, victoria? sed Deo gratia qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum! interim suspiramus cum eodem Rom. 16. vers. 20. Deus pacis conterat Satanam brevi sub pedibus nostris!

ܫܘܒܚܐ ܠܗ ܠܐܠܗܐ ⁘ ⁘



Quæ pec-

QUæ peccavit Adamus, idem peccavimus omnes,
Quæq; reum patrem nos quoq; caussa facit.
Hinc animum mentemq; graves tenuere tenebræ,
Et pœnam à nobis terra polusq; capit.
Ast inventa tamen tanto est medicina dolori,
Quæq; amissa semel reddita sponte salus.
Ista doces, LANGI, sunt hæc tua cura fidesq;,
Ista dabunt capiti præmia digna tuo.

Johannes Meisnerus D.
PRÆSES.

AMICE, quænam vis sit ingenî tui
Boni, probâsti doctioribus satis
Et disputatione doctâ hac comprobas,
Ego gratulor tibi, Tuisq; de tuis
Donis, DEUS quæ gratiosè dat tibi;
Et prospera tibi corde comprecor quævis.

Constantinus Ziegra SS. Theol. Lic.
Coll. Phil. Adj.

Eximio Dn. Respondenti.

GRatus sacrorum jussorum cultor acumen
Exhibet ingenii LANGIUS ecce sui.
Istam perge viam, certò DEUS ipse rependet
Cultori tandem præmia digna suo.

Benevol. testand.
approp.
M. Jacobus Tentzelius.

THO-

THOMAS LANGIUS

ἀναγραμματιζόμενος·

OH! TALIS MAGNUS!

ἐξήγησις·

I Langi, *oh* feLIX! Veros CVrare Labores:
CVr? qVIa fIt *MagnVs taLIS* CœLôqVe folôqVe.

Gratul. & prec. Amico fuo
Zacharias Kalinkius Rosnbergâ Pannonius,
Philos. Candid.

DIc mihi quid possit *breve*, quid *longumq;* vocari?
Protevangelium, quod sacra charta refert.:
Virgineum semen stygij teret occiput anguis,
Anguis at ipsius conteret ima pedis.
Est *breve* næ verbis, *longis* sed rebus abundat,
Primi queis sêcli credula fisa cohors.
Longiùs hoc monstras LANGI, tibi nomen & inde
Longum, longus honos, *longáque* fama manent.

Id quod suo optat integerrimo
Ascanius Bakius Magdeburgensis.

QUod fuerit primum Patribus solamen in orbe,
Post lapsum, præsens pagina docta probat:
Ingeniô pollens quam dum defendis, AMICE,
Et decus & nomen surgit abundè Tibi.

Hæcce paucula Amico suo perdilecto
apponere voluit
Joachimus Prüfesang. Soldin. March.

POstquam funestô res esset perdita lapsu,
Et mors & stygius serpens & Lerna malorum
Jam detorquerent homines per flumina Lethes;
Filius omnipotens, Patris omnipotentis imago,
In nemore Elysio lapsis trepidantibus adstat,
Semianimes revovens divini nectare verbi.
Semen se monstrat *muliebri ventre futurum,*
Humanos indutum artus & carnea membra.;

Se victo.

Se Victorem Erebi ſpondet, *q*
Colla atq; exitiale virus *fauceſq*
Sit contriturus, quamvis ingent
Sibila, & attollens iras, lingua
Vibrans, *mortiſero* ſacram *ſit vu*
Læſurus, tamen inde cadat vis c
Hæc eſt *priſca fides*, hæc eſt *fiduc*
Quâ freti Phlegethontis aquas
Spreverunt, vecti per candida g
Ex hoc quanta fluant ſacro myſ
Digna probat doctè, LANGI,
Quam dum de cathedra ſatagis
Sub Duce MEISNERO confiſu
Exſeris egregium ſat doctæ men
Quo pollens poteris perverſas ſ
Atq; plicas, ſtygio quas actus *Ap*
Nectit, cum ſociis *Calvi, raſæq;*
Et cum Gente malâ *Socini*, ſemi
Macte animo & virtute tuâ, doct
Pars animæ perchara meæ, pars
TE mihi *rutatæ* quondam junxe
Arcis Saxonicæ, Raceburgi, jamq;
Pindum conjunxit nos Phœbus
Nunc ubi deſpectans *Albim* ſe a
TE mihi nota FIDES teneris o
Atq; AMOR aſſiduo conſtring
Macte animo, & *ſacris* perge im
Omnibus hoc verè charum TE
Sic aderit cœptis quoq; gratia l
Præmia qui reddet dignis & dig

Sinceriſſimi
dæ ergo,
gami *Diſſ*

ndet, *qui tetra Draconis*
s *fauce sq;* cruentas
ingentia tollens
, linguasq; trisulcas
am *sit vulnere calcem*
dat vis cuncta colubri.
est *fiducia Patrum,*
is aquas & Tartara pigra
andida gaudia cœli.
acro mysteria fonte,
ANGI, Tua pagina cedro:
a satagis defendere, docta
D confisus prælia miscens,
octæ mentis acumen,
erversas solvere fraudes
s actus *Apella* furore
lvi, rasæq; cohortis,
ocini, semine Averni.
tuâ, doctissime LANGI,
neæ, pars docta Lycei!
dam junxere Camœnæ
rgi, jamq; per ipsum
os Phœbus, LEUCORIS alma
Albim se ad sidera tollit.
teneris obstrinxit ab annis,
constringens vincula nexu.
perge impallescere *Musis:*
arum TE reddet, amœnis
q; gratia larga JEHOVÆ,
gnis & digna brabea.

inceriſſimi adfectûs debitæq; gratulationis testan-dæ ergo, Præstantiſſimo Dn. Respondenti, hujus Dissertationis Autori, Amico meo in paucis candido, & contubernali suaviſſimo

deproperab.
Hector Mithobius Böblin-go-Würtenbergicus.